



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD


This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>




This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.





49.308!





DE
RERUM LACONICARUM
CONSTITUTIONIS LYCURGEAE
ORIGINE ET INDOLE.

DISSERTATIO HISTORICA
PRAEMIO ORNATA AB AMPL. PHILOSOPHORUM
ORDINE BONNENSI

QUAM SCRIPSIT

ALFREDUS KOPSTADT
PHIL. DR.



GRYPHIAE,
IN LIBRARIA C. A. KOCHIANA.
MDCCCL.



Caput I.

De Lycurgo deque eius legislatione in univēsum.

§ 1.

Fuisse aliquem Lycurgum contra Muellerum ostenditur.

Priusquam ad rerum Laconicarum constitutionis eius, quam Lycurgeam vocare solemus originem atque indolem explicandam accedimus, de Lycurgo ipso, utrum unquam fuerit, an nil nisi mythicum nomen sit, quaeramus necesse est. — Et primum quidem quod veteres rerum Graecarum scriptores ad unum omnes de Lycurgo tanquam de certo aliquo homine loquuntur nullam habet probandi vim, quum eidem permultos alios, quos nil nisi mythicas esse personas nunc iam inter omnes constat, vixisse aliquando non minus confidenter memoriae tradant. Eorum autem qui nostra vel patrum memoria de rebus Laconicis scripserunt, etsi plerique vixisse aliquem Lycurgum, qui Spartanis leges composuerit aut non in dubium vocant aut planis verbis affirmant, nemo tamen eam sententiam argumentis comprobavit aut contra Muellerum defendit ¹⁾. Is enim in priore

1) Niebuhr, Vorträge über alte Geschichte, vol. I, p. 311. Hermann, Lehrbuch der griechischen Staatsalterthümer § 23. — Schoemann, Antiquitates iuris publici Graecorum pag. 120. — Lachmann, Die spartanische Staatsverfassung etc. pag. 152 sqq. — Goettling, Excurs. I. ad Ari-

quidem libri de Doriensibus volumine hoc tantum contendit, de Lycurgi vita, si quis accurate quaecunque de eo narrentur examinaret, eum prope nihil satis certi reperiturum esse²⁾: quod quanta ex parte verum sit postea videbimus, nunc monuisse sufficiet, ne summa quidem certorum testimoniorum paucitate id demonstrari posse, nullum fuisse Lycurgum. Quanquam Muellerus id illo ipso argumento satis probasse sibi videtur, nam in altero volumine haec dicit: „Lycurgum, de quo utrum fuerit an non fuerit supra iam disputatum est, hac sola re nil nisi mythicam personam esse satis apparet, quod aedem habebat et annua sacrificia³⁾.“ Cuius rei testimoniis a Muellero allatis addi possunt Pausan. III, 16. 6. et nonnullae inscriptiones Laconicae, in quibus ἐπιμεληταὶ θεοῦ Λυκούργου commemorantur. — Sed quod Muellerus contendit, si quis vel divinis vel heroicis honoribus coleretur, (nam utraque res ita videtur cognata esse, ut accurate inter eas discerni nequeat,) hac una re satis probari, eum fabulosum esse nomen, non possum non mirari. Nonne eorum qui in singulis Graeciae civitatibus conditorum (κτιστῶν) nomine heroico cultu honorabantur, quum permultos nil nisi mythicas personas ab ipsarum urbium nominibus fictas esse inter omnes constat⁴⁾, multos tamen revera fuisse

stot. Polit. pag. 464. — Nitzsch, de historia Homeri, fasc. I, p. 55 sqq. Thirlwall, hist. Gr. (transl. German. vol. I. pag. 313 sqq.), alii quos enumerare longum est. — Grotius (history of Greece, vol. II) de hac quaestione, utrum historica an mythica persona sit Lycurgus, quid sentiat, non satis plane dicit. —

2) Mueller, Dor. vol. II, pag. 137. (editio secunda, qua semper usus sum.) „Wenn man nach solchen Grundsätzen Lykurgs Geschichte prüft, so wird man finden, dass eigentlich über ihn, als Einzelperson, so gut wie gar keine Nachrichten existiren.“

3) Ibid. vol. II, pag. 11.

4) cf. Buttmann, Mythol. vol. II, pag. 169.

certis argumentis probari potest? Num Brasidas fabulosus heros putandus est, propterea quod Amphipolitani sacrificia ei quotannis et certamina celebrabant? Num Muellerus, ut sibi constet, omnes, qui apud Graecos cultu aliquo fruebantur, inter mythicas personas referre audebit? Quorum Sparta, ut in proximis exemplis consistamus, continua prope series inde ab antiquissimis temporibus usque ad aetatem satis recentem pertinens enumerari potest. — Chilon enim Sparta sacellum habebat, item Atheniensis quidam qui Doriei expeditionis particeps fuerat; deinde Maroni et Alpheo, qui ad Thermopylas strenue pugnantes occubuerant, fanum dedicatum est, et in Leonidae honorem orationes quotannis et certamina celebrabantur; postremo Cynisca quoque, Agesilai regis soror, cuius nullum praeclarum facinus memoriae proditum est, nisi quod mulierum prima victoriam Olympicam reportavit, suum habebat sacellum⁶⁾,

Quibus exemplis hoc certe consequi videtur, a divinis honoribus, quibus Spartanos Lycurgum coluisse constat, argumentum nullum peti posse ad probandum eum mythicam esse personam. Sed nomen quoque Lycurgi isti opinioni minime opitulatur. Nam si recte Buttmannus⁷⁾ hoc discrimen statuit inter mythica et historica nomina, quod haec fortuita sint, illa certa aliqua ratione cum personarum indole vel rebus gestis coniuncta partem quodammodo necessariam totius fabulae efficiant, Lycurgus certe, si ullum aliud nomen verum et antiquitus traditum videtur; significationem enim sive legislationis, seu ingenii illius in

5) Thucyd. V, 11.

6) Pausan. III, 16. 4. — 12. 7. — 14. 1. — 15. 4. Talthyrbii sacrum (*ἐν γὰρ Σπάρτῃ ἐστὶ Ταλθύρβιου ἱερόν*. Herod. VII. 134) sciens praetereo, quem historicum esse personam equidem etsi non omnino nego, contendere minime ausim.

7) Buttmann, Mythol. II, 168.

nomine Lycurgo aliqua cum probabilitate demonstrare hucusque nemo potuit⁸⁾. Quanquam idem minime cadit in nomina eorum, qui Lycurgi propinqui fuisse traduntur. Nam si patrem eius Eunomum fuisse legimus, dubitare non possumus, quin illo nomine bona constitutio significetur, quam Lycurgus condidit. Neque Prytanis, quem Simonides Lycurgi patrem dixerat⁹⁾, veri alicuius hominis proprium nomen haberi potest, quum titulum potius antiquum Spartanorum regum illud nomen fuisse propter Charonis Lampfaceni librum, qui inscribatur *Πρωτάνεις ἢ ἄρχοντες Λακεδαιμονίων*¹⁰⁾, veri sit simile. Quodsi Muellerus his aliisque discrepantiis de ratione, qua Lycurgi genus a regum Spartanorum stirpe ducendum sit, demonstrari putat, nomen eius non fuisse in antiquis Spartanorum tabulis vel fastis; quibus summam antiquitatem et magnam auctoritatem attribuit¹¹⁾, hanc quaestionem prorsus omittere licebit, quippe quae nullius prope momenti sit, postquam Grotius luculentissime demonstravit, omnia eiusmodi stemmata haud ita antiquis temporibus composita esse nominibus nonnullis historicis commixtis cum multis haud dubie fabulosis aliisque ad explendas lacunas secundum certas quasdam leges effictis¹²⁾. Quod vero tam mire discrepant varia de Lycurgi genere et parentibus testimonia, quorum nullum reliquis auctoritate praestare dici potest, eo hoc equidem probari puto, nihil de ea re antiquitus traditum esse, nisi forte hoc, regia stirpe eum ortum esse. Testimonia autem, quae ad nostram aetatem pervenerunt, licet satis antiqua sint, nihil esse puto, nisi varias posterioris

8) Quid velit Hoeckius (Kreta III, pag. 416. annot. 9.) equidem me non intelligere fateor.

9) Plutarch. Lyc. cap. 2. *Σιμωνίδης ὁ ποιήτης οὐκ Εὐνόμου λέγει τὸν Λυκοῦργον πατρός ἀλλὰ Πρωτανίδος.*

10) Suidas s. v. *Χάρων.*

11) Mueller, Dor. I. 131. 132.

12) Grote, history of Greece, vol. II, chapter 19.

aetatis scriptorum coniecturas quibus antiquae memoriae lacunas explere studebant.

Nam de Lycurgo, viro imprimis claro et qui vixit nonnullis saeculis ante eos, qui primi res Graecorum literis mandarunt, permulta fabulosa narrari, non est quod miremur, quin etiam permirum esset, si res aliter se haberet. Qua fabularum multitudine efficitur, ut satis difficile sit ea quae certius constant et pro veris habenda sunt reperire et dignoscere. Sed si quis ideo omnia quae de Lycurgi vita traduntur pro fabulis et commentis habet, sive ullum unquam vixisse Lycurgum negat, is in gravi errore versari videtur. Quibus autem argumentis eius generis, quae positiva dicere solemus freti non modo istam quae Lycurgum omnino tollit opinionem falsam et argumentis prorsus destitutam iudicemus, sed vixisse Lycurgum confidenter affirmemus, planius intelligetur et e proxima sectione, qua quae de Lycurgi vita traduntur brevi recensebimus, et e disputatione quae postea sequitur de rerum Laconicarum constitutione Lycurgea.

§ 2.

De Lycurgi vita.

Argumenta, quibus Muellerus sententiam suam, nullum omnino fuisse Lycurgum, comprobare conatus est, diiudicavimus et ni fallor nulla esse demonstravimus. Hoc vero Muellero concedendum est, de vita eius pauca satis constare. Plutarchus enim vitam Lycurgi narraturus ita incipit ut queratur, quod de singulis, quae ad eam pertineant rebus, de maioribus, aetate, legumlatione, morte diversissima quacque narrentur, et polliceatur, se ea tantum relaturum esse, quae validissimis testimoniis nitantur, minimisque dubitationibus sint obnoxia. Nihilominus si quis accurate perlustraverit eam, quam Plutarchus conscripsit Lycurgi vitam facile perspiciet eum multa immiscuisse, quae commenta esse demonstrare facile poterat, multisque

in locis consilia inprimis et rerum nexum ab ipso ficta esse, quo infelici emendandi studio Plutarchus haud dubie multa, quae simpliciora essent et vero propria apud eos quos auctores sequebatur, corrupit.

De maioribus Lycurgi supra iam demonstrari conati sumus, diversas narrationes omnes haud ita antiquas esse, neque ullius auctoritatem ceteris ita praestare, ut omissis illis in hac acquiescere possimus: antiquitus enim hoc tantum traditum videtur, Lycurgum e regia stirpe ortum et regis cuiusdam Spartani tutorem fuisse¹³⁾. Singulas autem discrepantias, quarum maiorem partem collegit Muellerus, non habeo necesse enumerare, quum nihil aliud inde lucraturi simus, nisi ut intelligatur, omnia ista testimonia nullam habere auctoritatem, id quod satis iam demonstravit doctissima Grotii disputatio. (l. s. c.)

Sed silentio non videtur praetereundum quod Pausanias narrat, se in Lycurgi templo sepulcrum vidisse Eucosmi, filii eius, quum Plutarchus¹⁴⁾ memoriae prodat Lycurgum unum reliquisse filium, Antiorum nomine, eoque mortuo gentem extinctam esse, quod testimonium, etsi non constat e quonam fonte petatum sit, cur in dubium vocemus nullam omnino video causam. Nam cum Pausaniae narratione, de qua dubitari non potest, facillime ita conciliatur alterum testimonium, ut Lycurgi filio proprium nomen Antiorum, Eucosmum autem honorificum cognomen fuisse putemus, quod Spartani propter patris merita sive vivo, sive mortuo imposuerint¹⁵⁾.

13) Quorum testimoniorum antiquissimus est locus Simonidis, qui Lycurgum Prytanidis, i. e., ut supra adnotavimus, regis vel principis alicuius filium vocaverat.

14) Plut. Lyc. sub finem; Pausan. III, 16. 6.

15) Quidnam de illo Lycurgi filio Nitzschius (H. H. I, 56. annot.) statuat, utrum historicam an mythicam personam eum esse censeat, discernere non potui, nimis enim obscure sententiam suam profert. Quae affert exempla historica

Multo autem minus mirari possumus ingentem diversorum de Lycurgi aetate testimoniorum numerum, quorum quum pleraque sine dubio nullo alio fundamento niterentur, nisi ipsis Spartanorum regum stemmatibus, et quum diversae essent rationes annorum e numero eorum, quibus stemma aliquod ita compositum esset, ut patrem filius semper exciperet, computandorum, fieri non potuit, quin multo plures etiam de Lycurgi temporibus, quam de maioribus existerent discrepantiae. Deinde aliis in testimoniis incertum est, utrum ad eum annum quo Lycurgus nepotis tutelam gerere coepit, an ad eum quo leges pertulit, pertineant, aliae vero discrepantiae inde ortae esse possunt, quod utrumque tempus vel confundebatur vel permutabatur a scriptoribus. — Quamobrem nihil omnino de Lycurgi aetate certi affirmare possumus, nisi unum saltem testimonium firmiore aliquo niteretur fundamento. Plutarchus enim (Lyc. 1.) Lycurgum cum Iphito certamina Olympica instituisse memoriae prodit, cuius rei testes cum alios laudat tum Aristotelem, qui argumenti loco afferat Iphiti discum, (quem commemorat Paus. V, 20. 1, et quem Aristotelem ipsum vidisse puto), in quo scripta erat indutiarum formula, quas Lycurgus et Iphitus dum ludi celebrarentur per totam Peleponnesum observari iusserunt. Quae res tam gravi testimonio confirmata quin ita facta sit, non est cur in dubium vocemus. Certamen autem Olympicum (secundum Syncelli et Phlegontis testimonia) institutum est 27 Olympiadibus sive 108 annis ante annum 776. a. Chr. n., quo anno coronam adeptus est Coroebus, a quo inscribi coepta sunt victorum nomina. Quod vero eodem illo anno (884. a. Chr.), quo ludi Olympici instituti sunt, Charilaus rex regnare et Lycurgus tutelam eius gerere inceperit,

filiorum a patrum rebus gestis nominatorum omnia non bene quadrant. Ceterum neque Nitzschius, neque Muellerus (Dor. I, 2, cf. II, 63. annot. 6.) commemorat Plutarchi locum de Antio.

vel quod secundum alios chronographos eodem anno Lycurgus leges suas pertulerit, id arbitrio suo ita statuisset chronographos suspicor. neque maiorem his testimoniis fidem habendam esse censeo, quam eorum, qui sive accuratis numeris sive quos rotundos Germani vocant eas res nonnullis annis vel ante vel post annum 884 factas esse memoriae produunt¹⁶⁾. Thucydidis testimonium, qui Spartanos, quum bello Peleponnesiaco finis imponeretur, paulo plus quadringentis annis eandem reipublicae formam habuisse refert¹⁷⁾, non nimis pro illius aetatis obscuritate discrepare videtur ab illo, quo efficitur, Lycurgum anno 884. iam adulta fuisse aetate. Sed acquiescendum erit in hac sententia, Lycurgum leges tulisse medio fere saeculo nono a. Chr. n., neque accuratius definiri poterit aetas eius, nisi quis incertis coniecturis confidit. Quod Xenophon¹⁸⁾ Lycurgum aequalem Heraclidarum facit, (quos Plutarchus recte sine dubio intelligit eos eum dicere, qui primi Laconicam occuparunt) eo ni fallor consilio fecit, ut quam vetustissimae videantur Spartanorum leges, quas ab omni parte laudare studet.

Notissima est Plutarchi prolixa narratio de Lycurgi virtute, qui regnum Spartanorum, quod ad se iure pertineret fratris filio posthumo tradiderit, tutelamque eius suscepit, postea vero suspicionem, quae contra suam fidem a malevolis mota esset, voluntario exsilio vitaverit. Quae non omnia antiquitus tradita esse, sed multis commentis a posteriorum temporum scriptoribus aucta et exornata Muellero¹⁹⁾ libenter concedimus, neque infructuosam ope-

16) Singula de Lycurgi aetate testimonia tam diligenter conquisivit et inter se comparavit Fischerus (*Griechische Zeit-tafeln* pag. 33—42) ut, si plura de hac re disputassem, verear, ne eius scrinia compilasse viderer.

17) Thucyd. I, 18.

18) Xenoph. ResP. Laced. 10. 8; cf. Plut. Lyc. 1.

19) Mueller, Dor. I, 138. Quorum commentorum ut unum saltem exemplum afferamus, Plutarchus Lycurgum octo men-

ram suscipiemus discernendi inter ea, quae possunt antiquitus tradita esse, et ea, quae sine dubio postea addita sunt, nam certis testimoniis destituti lubricis et vagis coniecturis indulgere nolumus. Hoc tantum addo, videri Plutarchum earum narrationum non exiguam partem ab Aristocrate Spartano, Hipparchi filio, petiisse, quem bis addito nomine testem citat de rebus, quas impudenter effectas esse suo loco ostendemus. Non enim haec sola esse commenta puto, quas bonus Plutarchus ab illo mendacissimo homine sibi imponi passus sit.

Narrationibus autem illis etsi vera nonnulla inesse possunt, fides earum per se incerta et debilis magis etiam elevatur eo, quod Herodotus, qui ipsorum Spartanorum traditionem se sequi profitetur, reipublicae constitutionem a Lycurgo quum primum regis tutelam suscepisset mutatam esse refert, quum Plutarchus Lycurgum Charilao rege iam adulto et ipso regnante leges suos tulisse dicat²⁰). Lycurgo ea ipsa de causa, quod tutor regis erat, novas leges ferre licuisse non est verisimile, sed sine dubio a populo et regibus eam potestatem in eum conferri oportebat. Cuius rei vestigia invenire mihi videor in Plutarchi narratione de legationibus a Spartanis ad Lycurgum missis, quae ut in patriam rediret ei persuaderent. Communi igitur consilio a regibus et populo Lycurgo id negotii mandatum puto, ut reipublicae constitutionem vel restitueret, vel emendaret, cui sententiae Xenophon quoque, rerum Laconica-

ses regnasse narrat. Qui numerus haud vereor ut cuiquam ex antiquis Spartanorum fastis petitus videatur. Equidem omnino non dubito quin inde a nescio quo chronographo computatus sit, quod Lycurgus suscepisse dicebatur regnum antequam appareret Polydectis uxorem gravidam esse, (quamobrem eam haud ita diu ante viri obitum concepisse consentaneum videbatur) et regno statim se abdicasse quum primum Charilaus natus esset.

20) Herod. I, 65, cf. Plut. Lyc. 5 med.

rum nimius quidem laudator, sed nihilominus auctor mi nime contemnendus suffragari videtur²¹).

Ante Lycurgum Spartanorum rempublicam discordia civili laborasse et ab illo demum bonum ordinem institutum esse, tot veterum testimoniis²²), quae non alterum ab altero derivata sunt, confirmatur, ut vix possimus dubitare, quin aliquid veri in illis narrationibus sit. Quod Muellerus²³) turbatam tantum veterem rerum Laconicarum constitutionem eandemque in integrum restitutam esse contendit, id de arbitrio suo ita statuit, nam sententia ista et cum iis testimoniis, quibus haud ita multo post occupatam a Doriensibus Laconicam ortas esse seditiones efficitur et cum iis quae nova instituta ad Lycurgum referunt pugnat. Quales eae seditiones fuerint de ea re diversissima quaeque a recentioribus scriptoribus proferri non est mirum, quum vel veterum testimonia inter se valde discrepent, quorum alii inter reges et populum²⁴), alii inter Spartanos et Perioecos²⁵), alii inter divites et pauperes²⁶) eas fuisse aut planis verbis dicant aut significare videantur. De qua quaestione quid sentiamus postea dicendum nobis erit, quum de singulis constitutionis Lycurgeae partibus dicemus.

Lycurgum in negotio suo perficiendo a Delphico oraculo adiutum esse non, ut Muellero placet²⁷), probabiliter

21) Plut. Lyc. 5. init.; Xen. RP. Lac. 8. init.

22) Herod. I, 65; Thucyd. I, 18; Plato leges III, pag. 691. extr.; Isocr. Panath. 73 (177); Aristot. Polit. V, 10. 3; Heraclides (quem falso hucusque Ponticum appellatum esse demonstravit Schneidewinus, qui nuper eius reliquias edidit) pag. 6; Plut. Lyc. 2 (Str. VIII, 365. ubi emendationem ab Hermanno, Antt. Lacc. p. 8. propositam accipio.)

23) Mueller, Dor. II. 11.

24) Plato, Arist., Heracl., Plut., II. II.

25) Herod. Isocr. II. II.

26) Plut. Lyc. 8. Δεινῆς γὰρ οὔσης ἀνωμαλίας καὶ πολλῶν ἀκτημόνων καὶ ἀπόρων ἐπιφοροῦμένων τῇ πόλει. κ. τ. λ.

27) Dor. I. 138.

traditum, sed re vera ita factum esse censemus. — Non enim hoc solum constat apud Spartanos semper plurimum valuisse oraculi Delphici auctoritatem, neque ullam alicuius momenti rem eos gerere solitos esse, nisi Apolline consulto: sed ipsum Lycurgum Delphos profectum oraculum de republica constituenda petiisse iam antiquis temporibus creditum esse Herodoti imprimis et Xenophontis testimoniis²⁸⁾ constat. — Longe autem validissimum argumentum ipsa est rhetra Lycurgea, a Plutarcho²⁹⁾ servata, quae oraculi Delphici responsum Lycurgo datum continet, tantaeque vetustatis speciem prae se fert, ut genuina esse et antiquissimis iam temporibus litteris mandata videatur³⁰⁾, de qua postea paulo accuratius nobis agendum erit. Quo accedit alterum de Lycurgo oraculi responsum, heroicis versibus expressum, quod servavit Herodotus, Plutarchus autem in antiquissimis Spartanorum annalibus exstare testatur, quos ipsum se vidisse et excussisse profitetur³¹⁾. Quibus si addimus gravissimum, quod supra laudavimus. testimonium de Iphiti disco, en tria documenta sive ipsius Lycurgi temporibus litteris mandata sive nonnullis certe saeculis ante eos, qui primi de rebus Laconicis scripserunt: quibus re vera vixisse Lycurgum, neque posse pro fabulosa vel ficta persona haberi ab omni dubitatione defendi apparet. Quae documenta ipsius Lycurgi tempore scripta esse Muellereus, qui antiquissima ea iudicat, sine dubio affirmasset, nisi aliis quibusdam rationibus, quae quam sint debiles sive potius nullae vidimus, permotus, nullum unquam vixisse Lycurgum sibi persuasisset.

Quod nonnulli posterioris praesertim aetatis scriptores³²⁾ tradunt Lycurgum oraculi responsa sive ementium

28) Herod. I, 65. Xen. RP. Lac. 8. 5.

29) Plut. Lyc. 6. init.

30) cf. Mueller Dor. I, 135.

31) Plut. adv. Colot. XVII, 2. (pag. 1366 Didot); id. Lyc. 5.

— id. Agesil. 19.

32) Polyb. X, 2. 8. — 11. Polyaeen. Stratagem. Lyc. 1.

esse sive Pythia corrupta emisse, ut religionis praetextu civibus ut leges acciperent facilius persuaderet, mirum non est, istam explicatianem, a Lycurgeae aetatis simplicitate et pietate immane quantum abhorrentem, et oriri potuisse, quum Graecorum praeter vulgus nemo fere esse deos et divina esse oracula crederet, et fautores multos nactam esse recentiore aetate, qua denuo permulti exstiterunt qui nihil credere sapientes et doctos decere putarent.

Quaeritur deinde quid iudicandum sit de eis veterum testimoniis, quibus Lycurgus leges suas a Cretensibus petiisse dicitur, id quod per temporum quidem rationem fieri potuit. Nam etiamsi Boeckhio et Hoeckio³³⁾ assentimur, qui eam quam Muellerus³⁴⁾ defendit antiquissimam Doriensium in Creta coloniam Teutamo duce conditam, non veram sed posteriorum vanitate effictam censent, (quau sententiam Muellerus ipse aliquando³⁵⁾ professus erat) nihil tamen est cur dubitemus, quin Creta haud ita multo post migrationem Doriensium seu Heraclidarum reditum a Doriensibus occupata sit³⁶⁾. Porro veri est simile Doriensium civitates in Creta conditas brevi ad firmam et stabilem rerum suarum constitutionem pervenisse, quum Spartani per longum tempus inter se dissiderent, reliquae autem Doriensium civitates instituta populi illius propria omnino non excolerent, sed ut postea videbimus negligerent sensimque oblivione obrui paterentur. Magna autem inter constitutionem Lycurgeam et Creticam intercedit similitudo³⁷⁾, (quam veterum scriptorum plerique agnoscunt, unusque Polybius³⁸⁾ hanc solam ob causam existere

33) Boeckh. Corp. Inscr. Gr. Vol. II, 450. Hoeck, Kreta II, pag. 15 sqq.

34) Mueller. Dor. I, 31 sqq.

35) Mueller. Aeginet. 154. annot. c.

36) Ephorus ap. Strab. X, p. 481. cf. Hoeck, Kreta. II, 417 sqq.

37) Ephorus l. c. Aristot. Polit. II, 7. 1. Plato leg. III, 683. init.

38) Polyb. VI, 45 sqq.

negat, quod eius temporibus utriusque civitatis instituta iam prorsus immutata erant et depravata). Quae similitudo affinitate et communi origine utriusque populi non satis explicari videtur, quum reliquarum Doricarum civitatum leges et instituta sine dubio et a Spartanorum et a Cretensium rebus publicis multo longius discrepent, quam Lycurgea rerum Laconicarum constitutio a Cretensium veteribus institutis distat. — Quanquam hoc quidem, quod veterum nonnulli narrant, Lycurgum Cretensium instituta Spartam transtulisse, factum esse negamus, et quia vix tam firma et perpetua evadere potuisset constitutio Lycurgea, si aliena fuisset et aliunde illata, et propter discrepantias multas magnasque quas inter utramque intercedere videbimus: hoc tamen magnam habet probabilitatem³⁹⁾, Lycurgum res Laconicas turbatas fluctuantesque ordinatum exemplum quodammodo sibi proposuisse Cretensium rempublicam, quos similia pericula prudentissime evitasse videbat. Magnum certe discrimen statuendum est inter testimonia vetustissima de ratione quae Lacedaemoniorum institutis cum Creticis intercesserit, quam iam Herodotus l. c. ex ipsorum Spartanorum sermonibus memoriae prodit, et ea, quae posterioribus temporibus ad eorum similitudinem efficta sunt. —

Quibus commentis adnumero quod Plutarchus⁴⁰⁾ nescio quos auctores secutus Lycurgum relicta Creta in Asiam navigasse dicit, ut Jonum mollitiem et luxuriam (quam tunc ne fuisse quidem ullam credo, nam olim fortes fuisse et sensim tantum degenerasse Jones constat) cum Cretensium austeritate compararet. Deinde quod Ephorus⁴¹⁾ Lycurgum Aegyptum adiisse et inde populi in diversos ordines divisionem in patriam suam transtulisse facit, nihil est nisi coniectura levissima et audacissima, quae ne speciem qui-

39) Mueller, Dor. II, 12.

40) Plut. Lyc. 4 med.

41) Eph. ap. Strab. X, p. 482.

dem veri habet, neque ea Ephori propria, sed quam e magistri sui disciplina in suum usum convertisse videtur, nam Isocrates iam idem fere dixerat⁴²⁾. Quanquam primam illius opinionis originem ab Aegyptiorum vanitate repetendam esse veri est simile, qui, si Plutarchus verum refert, non minore confidentia narrasse videntur, Lycurgum in Aegyptum venisse, unde optimas leges in patriam suam referret, quam qua olim Herodoto multa eiusmodi, patriae suae illustrandae potius quam veri studiosi persuaserant. Quod vero Aristocrates ille Lycurgum in Africam quoque et Hispaniam et Indiam⁴⁴⁾ migrasse solus omnium quos Plutarchus noverat scriptores narravit, satis vel hoc unum commentum eum nulla veri ratione habita nova tantum et inaudita captasse, quibus librum suum exornaret, arguit.

De Lycurgi morte magnopere discrepant veterum testimonia⁴⁵⁾ inter quae de hac tantum re convenit, eum non Spartaem diem obiisse supremum, cui rei aliqua ex parte suffragari videtur Pausanias, qui quum totam Spartaem diligentissime describat, et in ipsa Lycurgi aede sepulcrum Eucosmi, Lycurgi filii se vidisse testetur⁴⁶⁾ ipsius Lycurgi sepulcri nullam faciat mentionem. Suspiciari possumus, eam narrationem, quam Plutarchus eodem loco commemorat, quo de divinis honoribus Lycurgo tributis agit, „reli- „quii eius Spartaem relatis sepulcrum paulo post fulmine „deletum esse“, in ipso templo a sacerdotibus tanquam *ιερόν λόγον* servatam esse, quo explicarent, cur nullum

42) Isocr. Busiris. 8 med. 43) Plut. Lyc. 4 extr.

44) Eas regiones commemorasse videtur Aristocrates, quae tum orbem terrarum orientem versus, et a meridie et in occidentalibus partibus claudere putarentur. Mirum igitur quod non Hyperboreos quoque, iustitiae et pietatis laude insignes, Lycurgum visere iussit, ut is omnes mundi terminos adiret.

45) Plut. Lyc. 31.

46) Paus. III, 16. 6.

illius monstraretur sepulcrum. Quod compluribus aliis in oppidis, Cirrhae, Elide, Pergamiae homines gloriabantur, quod ibi Lycurgus diem obiisset supremum, vel etiam sepulcrum eius monstrabant, nemo mirabitur: nam quanto-pere Graeci eiusmodi narrationibus delectati fuerint, quibus civitatum suarum splendorem augeri putabant, satis notum. Quod vero eiusmodi narrationes Cirrhae potissimum et Elide et Pergamiae orientur, facile eo explicatur, quod Lycurgus Delphis haud procul a Cirrha oraculum consuluisse, et Olympicos prope Elidem ludos instituisse et in Creta, in qua sita est Pergamia legum cognoscendarum causa commoratus esse dicebatur. — Quam Plutarchus ultimo loco affert de Lycurgi obitu narrationem: „Lycurgum in Creta moribundum ab amicis postulasse, ut corpore combusto cineres in mare proiicerent, ne unquam reliquiae suae Spartam relatae Lacedaemonios iureiurando solvere viderentur, a Lycurgo patriam relicturo a civibus exacto, se dum ille in patriam rediret, fideliter observaturos esse leges eius“, ea narratio prorsus digna videtur Aristocratis ingenio, e cuius libro Plutarchus eam affert. Unde haud temere suspicari mihi videor, nos totam de illo iureiurando et de altero Lycenrgi voluntario exsilio⁴⁷⁾ narrationem, quam Plutarchus⁴⁸⁾ satis prolixè exponit neque nominato quem sequatur auctore neque (quod non negligendum est) ulla de singulis rebus discrepantia memorata, eiusdem Aristocratis ingenio fabularum feraci debere, quem e duobus illis locis, quibus a Plutarcho addito nomine testis citatur, fabulis audacter effectis Lycurgi vitam auxisse et exornasse satis apparet. Quod de

47) Quod exsiliium apud nullum alium rerum Graecarum scriptorem commemoratum reperi, nisi quod ex Ephoro refert Aelianus (V. H. XIII, 23.) Lycurgum exsulem diem obiisse supremum.

48) Plut. Lyc. 29.

Aristocratis fide iudicium ceteris quidem fragmentis eius non possumus novis argumentis confirmare, quum loci illi et pauci et exigui sint; sed hoc quoque certum videtur, nullum inde argumentum peti posse, quo nostra sententia refutetur vel elevetur⁴⁹⁾.

§. 3.

Muelleri sententia nullum discrimen inter Lycurgeas et vetustissimas Spartanorum et primitivas Doriensium leges stutuentis coarguitur et quaenam inter eas ratio intercesserit brevi significatur.

Veterum scriptorum plerique ita loqui solent, ut omnia fere quae ad Laconicam rempublicam pertinent ad Lycurgum auctorem referant, id quod non Herodotus tantum in brevissima de Lycurgo narratione, sed Xenophon quoque, cuius auctoritatem de Spartanorum civitate in universum plurimi faciendam puto, et Aristoteles, quanquam is Lycur-

49) Sola Aristocratis fragmenta. quae praeter Plutarchi Lycurgum reperi haec sunt:

- 1) Athenaeus III, pag. 82. e. Ἀριστοκράτης γοῦν ἐν τετάρτῳ Λακωνικῶν. Ἐτι δὲ μῆλα καὶ τὰς λεγομένας Ἐσπερίδας, quod fragmentum ad locum, quo de itineribus Lycurgi egerat referendum esse probabiliter suspicatur Urlichsius.
- 2) Steph. Byz. Ἀβάντις, ἢ Εὐβοία. ἐκλήθη δὲ ἀπὸ Ἀβαντος τοῦ Ἀργείου ἢ τοῦ υἱοῦ Ποσειδῶνος καὶ Ἀρεθούσης, ὡς Ἀριστοκράτης.
- 3) Schol. ad Soph. Trachin. 270. Ἡσίοδος μὲν γὰρ τέσσαρας φησὶν Εὐρύτου καὶ Ἀντιόπης παῖδας . . . Κρεώφυλος δὲ δύο. Ἀριστοκράτης δὲ τρεῖς. Τοξέα, Κλύτιον, Δηΐονα
- 4) Plut. Philopoem. 16. ὁ Φιλοποίμην τὰς μὲν φυγὰς κατήγαγεν εἰς τὴν πόλιν, ὀγδοήκοντα δὲ Σπαρτιάτας ἀπέκτεινεν, ὡς Πολύβιός φησιν, ὡς δὲ Ἀριστοκράτης πενήτηκοντα καὶ τριακοσίους, unde apparet Aristocratem non ante Philopoemenis aetatem vixisse.

gum rarius nominat, ita fecerunt, ut nonnunquam mirum in modum antiquissima cum multo recentioribus confunderent, cuius erroris exempla non pauca suis locis afferemus. Unde satis apparet veterum hanc fuisse opinionem, rerum Laconicarum constitutionem prope universam opus quoddam Lycurgi fuisse, id quod recentiore quoque tempore et nostra etiam aetate tantum non ab omnibus creditum est dum Muellerus prorsus novam iniret viam⁵⁰). Qui quod negat universam rerum Laconicarum constitutionem unius alicuius hominis opus esse, suo iure id eum facere tam manifestum est, ut non verear ne etiamnunc aliquis illius opinionis, quae omnia ab admirabili quadam et divina Lycurgi sapientia repetit, patronus existat. Sed vidimus Muellerum sine ullo probabili argumento negare Lycurgum unquam vixisse. Ad quam opinionem non poterat non pervenire, quum sibi persuasisset, eam quae Lycurgea vocari solet reipublicae constitutionem non diversam esse a priscis legibus Spartanorum, quos fidelissime et tenacissime vetera Dorica instituta conservasse contendit. Quamobrem nullo certo discrimine facto tribus illis nominibus, legibus Doricis, Laconicis, Lycurgeis utitur, nisi quod paucis locis, quasi summae sententiae oblitus, de Lycurgo tanquam de homine qui revera vixerit loqui videtur⁵¹).

Lycurgeam constitutionem a vetera Dorica non diversam esse probaturus Muellerus praeter Pindari testimonium (quod Grotius recte negat afferri oportuisse) maxime eis utitur vestigiis, quibus instituta quorum origo vulgo a Lycurgo repeti solet tantum non omnia iam antiquissimis reipublicae Lacedaemoniorum temporibus exstitisse sive certo concludere seu probabiliter suspicari possumus. In qua re demonstranda tanto cum acumine tantaque cum diligentia

50) Mueller, Dor. II. pag. 9 sqq.

51) Cuius rei exempla inveniuntur Dor. II., 12-201. alia.

et tam vasta et profunda doctrinae copia versatus est, ut librum eius de Doriensibus ad illustrandas veterum Graecorum res gestas et rerumpublicarum constitutiones, quales ante bellum Peloponnesiacum fuerint summi esse pretii pluribus demonstrare iam nil attineat, quum pauci qui contra virum immortalem exstiterunt maligni obtrectatores iamdudum conticuerint. Sed primariam quam profert sententiam, Lycurgeas leges et Spartaë constitutionem antiquissimam et vetera Doriensium instituta non magnopere inter se differe, quum in ipsa argumentatione magna sit lacuna, non possumus non falsam censere. Nam quum ubicunque singula quaedam Lacedaemoniorum instituta paulo accuratius explicantur, descriptiones eas ad tempora Lycurgo posteriora referri necesse sit; et quum e contrario quae instituta iam ante Lycurgum fuerint tantum e testimoniis brevissimis et parum distinctis aut ex ipsarum rerum probabilitate concludi possit: eiusmodi argumentis exstitisse ante Lycurgum reges, senatum, comitia, ephoros, coenas publicas, publicam institutionem, Perioecos, Hilotas satis certo effici potest, sed ea instituta iam tum talia fuisse, qualia post Lycurgum ea fuisse scimus, nullo modo potest probari. Quam legum Spartanarum immobilitatem et perpetuitatem inde ab antiquissimis temporibus exstitisse Muellerus, gravissimis veterum testimoniis repugnantibus⁵²⁾, non tam planis contendit verbis, quam totius disputationis tenore postulare videtur. Quam si tollemus, primaria eius sententia, quam in eo cernimus quod Lycurgeam civitatem exemplum quoddam esse putat antiquissimae Doriensium constitutionis, corruat necesse est.

E nostra quidem sententia, quam huius libelli particula posteriore comprobare studebimus, Lycurgum non multa nova intulisse ita tantum concedi potest, ut plerorumque institutorum primam originem ad eum referri posse

52) Videsis locos, quos citavi pag. 10, annot. 2.

negetur, sed rempublicam Lacedaemoniorum nihilominus ab eodem magnopere immutatam esse vehementer affirmetur⁵³). Id quod ita factum est ut cum priorem ordinem dissolutum restitueret et denuo confirmaret, tum accuratius definiret, primusque ad certam aliquam normam redigeret, quae ante eum nullis legibus sancita, sed sola antiqua consuetudine nitentia eamque ob causam incerta fluctuasse videntur. — Quae sententia in summa re non nimis discrepat ab ea quam C. F. Hermannus in egregia disputatione „de Spartanorum institutis ante Lycurgum“⁵⁴) acute et diligenter exposuit qui tamen tantum abest ut in omnibus singulis institutis quid Lycurgus novasse videatur ostendat, ut de sola prope senatus et coenarum publicarum institutione agat. Qui in hac quoque re errare videtur, quod Lycurgum vetera Doriensium instituta abolita aut turbata revocasse magis, quam quae inde ab initio manca fuissent et incerta supplevisse et emendasse contendit. Nos autem in hac descriptione id agemus, ut per singula instituta quid ad ipsas reipublicae Lacedaemoniorum origines referendum, quid postea, imprimis a Lycurgo, vel additum vel mutatum sit, et quibus potissimum rebus Lycurgi leges differant et ab antiquiore rerum Laconicarum conditione aetatisque heroicæ civitate (magnam enim inter utramque similitudinem intercessisse, Grotius⁵⁵) nobis persuasit) et a ceterarum Doricarum civitatum forma principali, ab eis denique institutis, quae volventibus saeculis in Lycurgeae constitutionis locum sensim successerunt, quantum per vires nostras, quae quam exi-

53) Quae quum aliquamdiu scripta haberem vidi simillimam hanc sententiam esse ei quam olim Niebuhrius professus est. l. l. pag. 311.

54) Quae primum locum obtinet in libro qui inscribitur: „Antiquitates Laconicae“.

55) Quam similitudinem minus recte ad vitam domesticam moresque transfert Hermannus. Antt. Laec. pag. 13.

quae sint ad tam gravem praesertim rem bene tractandam haud ignoramus, fieri poterit, ostendamus.

Quam disputationem priusquam aggredimur de duabus rebus venia nobis expetenda videtur. Primum, quod saepe notabimus et reprehendemus viros clarissimos, qui ante nos de rebus Laconicis egerunt. Quod ne quis putet per maledicentiam vel protervitatem nos facere. Non enim faciemus, nisi ubi res postulare videbitur, ut quae minus recta prolata sunt non tacite sed diserte emendentur. Quod ne saepius fiat quam necesse est, satius duximus eruditorum Francogallorum, quorum libros paene ad taedium usque Hermannus in Antiquitatibus Laconicis adhibet, nullam facere mentionem, quippe in quibus vituperanda plurima laudanda perpauca inesse videantur. Deinde quod non pauca proferemus, quae etiamsi non tam certa quam probabilia esse sciamus, neque prorsus omittenda videbantur, ne manca esset totius constitutionis Lycurgeae descriptio, neque certis argumentis ab omni dubitatione defendere in summa testimoniorum seu exiguitate seu discrepantia licebat. Quos locos collectis quae invenerimus certioribus argumentis, et refutatis eis quae memoratu dignae visae erunt, diversis sententiis, quantum poterimus confirmare, non tamen unquam, quae nobis ipsis certa non videantur aliis, quasi certa essent, vanae acuminis gloriolae cupidi persuadere studebimus.

§ 4.

De rhetris quas dicunt Lycurgeis, refutatis Goettlingii coniecturis, quid iudicandum sit quaeritur.

Sed antequam huic capiti finem impono nonnulla mihi bicenda sunt de auctoritate rhetrarum quae vulgo Lycurgeae vocantur, quae quid sint et quam originem haberint nondum satis constare videtur. Quae investigatio incipienda est a commemoratione Goettlingii, qui egregie

de rebus Laconicis cognoscendis meruit eo quod primus in difficilem hanc et satis obscuram rem, antea paene neglectam, data opera inquisivit abhinc anno proximo in dissertatione⁵⁶⁾ multo cum acumine scripta et lectu iucundissima, qua Vir Illustris, ad opus haud sane exiguum intentus, id agit ut leges quas Lycurgus tulerit omnes verbo tenus restituat. Praeclarum mehercule conamen, quod si ad finem quo tendebat perductum esset, multum nos lucraremur, quod non iam, qualis fuerit rerum Laconicarum constitutio Lycurgea e diversis plurimorum librorum locis, quorum multi sive fabulis erroribusve impediti seu corruptelis obscurati sunt, sive inter se pugnant, magna cum difficultate nec satis certa successus spe eruere cogere, sed facillima opera in ipsa illa Spartanorum Magna Charta, ex antiquitatis tenebris Germanica sagacitate et diligentia in lucem revocata, perspicere possemus. Sed quo maior fructus ex illa disquisitione sperari poterat, eo vehementius dolendum est, quod pauca tantum eorum, quae Goettlingius elegantissima ceteroquin disputatione probare studet, vera sunt, pleraque ne similia quidem veri.

Goettlingius enim Lycurgum ab oraculo Delphico tabulam quandam legum accepisse putat⁵⁷⁾ quae prooemium versibus heroicis conscriptum, qualia antiquos Graecorum legumlatores ipsis legibus praefigere solitos fuisse exemplis Charondae et Platonis comprobare conatur, et quattuor rhetras contineret. Sed eius partis Goettlingianae descriptionis, quae ad prooemium quod nobis proponit pertinet, accuratiorem censuram agere supersedeo, quum illud neque

56) quae inscripta est: Ueber die vier lykurgischen Rhetren (Vide: Berichte über die Verhandlungen der Königl. Sächsischen Akademie der Wissenschaften zu Leipzig. 1847. fasc. IV. pag. 136 -- 158.

57) cui *Εὐνοῦλα* quasi proprium fuisse nomen speciosius quam verius suspicatur. Quam opinionem prorsus refutavit Urlichsius in scriptione quam statim laudabimus pag. 200 sq

ad primarium meae disputationis argumentum pertineat, et quum eodem quo ego haec conscripsi tempore Urlichsius, Vir Illustris, docte demonstraverit, quam vana sint tantum non omnia quae de prooemio illo Goettlingius suspicatus est, ne dicam hariolatus. Quae Urlichsii disputatio „über die lykurgischen Rhetren“ legitur in Museo Rhenano Philologico anni 1847. Quamobrem statim ad alteram partem, quae de ipsis rhetris agit et quae si verum esset assecuta permagni esset momenti, accedo. Goettlingius rhetras quoque, quas Plutarchus soluta oratione conceptas nobis tradit, antiquitus hexametris versibus compositas, posteriore aetate quum constitutio Lycurgea dissoluta et prope abolita restitueretur⁵⁸⁾ in prosam orationem translatas nonnullisque locis auctas esse sibi persuasit. Quas aliqua ex parte comparatis versibus quibusdam Tyrtaei a Plutarcho servatis, maiore ex parte suopte tantum ingenio fretus, in pristinam quam putat formam ita restituere conatur, ut quattuor illis rhetris, novem in universum versibus heroicis constantibus omnes leges a Lycurgo sancitas contineri contendat. Quam restitutionem singulatim examinare non opus habeo: tot enim emendationibus quas putat speciosis quidem sed iisdem audacissimis magnaue ex parte aperte falsis⁵⁹⁾ constat, ut non verendum sit, ne accurate inspecta cuiquam imponat: sed non sine fructu in duas quae universae restitutionis quasi fundamentum sunt, neque hac reprobata item statim tolluntur, coniecturas brevi inquiremus.

Et primum quidem quod Lycurgeas leges ab initio heroicis versibus compositas⁶⁰⁾, restituta antiqua, quae

58) Quod quando factum sit, fateor me nescire; sed de hac re paulo post.

59) Quarum unum exemplum sufficit. Ultimum hexametrum sic scribit:

Μὴ πολεμεῖν ἐπὶ τοὺς αὐτοὺς πολλαῖσι στρατείαις.

60) Cui quidem sententiae adversa fronte obstat Plutarchi testimonium, de Pyth. orac. 19.

neglecta aliquamdiu iacuisset, reipublicae forma in pro-
sam orationem translata esse contendit, concedi non
potest. Nam Aristotelem iam primae certe eiusque longis-
simaе rhetrae non eam quam Goettlingius finxit recen-
sionem, sed eadem quae Plutarchus affert verba legisse,
certo constat, quum Plutarchus illius explicationes afferat
vocalorum nonnullorum et nonnimum, quae Goettlingius
interpolata esse iudicat et eiicit. Aristotelis autem aetate
leges Lycurgeas, quamvis multae iamdudum immutatae
essent, minime neglectas aut abolitas, multo autem minus
quasi e tenebris evolutas fuisse, nisi universa rerum Laconi-
carum memoria constaret, ipsius Aristotelis testimonio, qui
quidquid in Spartanorum republica sive boni sive mali re-
periebat ad Lycurgum auctorem referre solet, satis cog-
nosceretur. Quamobrem antiquiorem illarum rhetrarum⁶¹⁾
formam ullam fuisse, quam quae apud Plutarchum legitur,
omnino nihil est cur credamus. Quo enim tempore ista
quam statuit nova rhetrarum recensio facta sit, Goettlin-
gius non definit: equidem eam post Aristotelem non fa-
ctam esse demonstravi et ante eius aetatem ne cogitari qui-
dem posse contendo. — Deinde quattuor illas rhetras o-
mnes leges esse, quas Lycurgus tulerit, prorsus est reiicien-
dum. Ista enim opinione omnia prope, quae singularia et
memorabilia erant in rerum Laconicarum constitutione
Lycurgea, omnino tolluntur neque quidquam relinquitur nisi
quattuor leges, quae neque, si longiorem illam excipimus,
ad universam civitatis conditionem sive mutandam seu con-
firmandam magni sint momenti, neque ullo inter se nexu
cohaereant: ut Lycurgus non universam civitatem com-
prehendisse, sed paucas tantum neque eas gravissimas res
iustituisse videatur, qua opinione omnis rerum Laconica-
rum memoria turbatur et tantum non omnino tollitur.
Quaecunque enim praeter quattuor illas leges vel a

61) Longioris saltem, nam de brevioribus eadem confidentia
loqui non possumus.

gravissimis rerum Graecarum scriptoribus a Lycurgo sive instituta sive commutata esse traduntur false ei afficta esse contendere cogetur is qui Goettlingii placita accipienda esse putat.

Refutata Goettlingii disputatione res postulare videtur, ut eorum qui prius de hac re egerunt ratione habita accuratius quid rhetrae Lycurgeae fuerint quaeramus. Quae investigatio incipiendā est ab eis, quae Plutarchus in Lycurgi sui cap. 13. servavit et nonnullis aliis locis⁶²⁾ nomine „trium rhetrarum“ comprehendit. Unde Muellerus⁶³⁾ concludit, hunc numerum certum quodammodo et definitum fuisse, sed num praeter has aliae eiusdem generis rhetrae unquam fuerint, non dicit. Hermannus⁶⁴⁾ recte perspexit eas quas Plutarchus affert tres rhetras non omnes leges a Lycurgo latas continere, sed quod suspicatur tres fuisse foederum tabulas, in quibus praeter eas quas Plutarchus „tres rhetras“ vocat et quartam longiorem rhetram alia complura inscripta fuerint, ea coniectura quae cum diligente interpretatione verborum Plutarchi⁶⁵⁾ conciliari nullo modo potest non est probanda. Mihi quidem e totius narrationis tenore apertum videtur, Plutarchum in illo capite quasquas reperire potuerat leges Lycurgeas afferre neque ullum verbum consulto omittere. Quod igitur tres illas rhetras, quae nullo interiore nexu continentur communi „trium rhetrarum“ nomine nonnunquam comprehendit, ita tantum explicari posse videtur, ut praeter has, (de longiore cuius longe alia est ratio et indoles seorsum agam,) nullas eum vel fando accepisse suspicer. Nam Plutarchum tres illas rhetras neque e Spartanorum tabu-

62) Plut. Ages. 26. de esu carn. 2. 1.

63) Mueller, Dor. I, 134. 135 inprimis annot. 2.

64) Hermann, Antt. Lacc. 42. annot. 129.

65) Plut. enim dicit, Lyc. 13: *Μία μὲν οὖν τῶν ρητρῶν ἦν, ὡσπερ εἴρηται, μὴ χρῆσθαι νόμοις ἐγγράφοις. Ἐτέρα δὲ πάλιν κατὰ τῆς πολυτελείας, ὅπως οἰκία πᾶσα κτλ.*

lario neque e libro aliquo descripsisse, sed ex hominum sermonibus didicisse, (id quod Spartaefactum esse, ubi sine dubio aliquando commoratus est⁶⁶), veri est simillimum) tota ratio, quae eas tradit non directa sed obliqua oratione neque quasi posset aut vellet spondere, se genuina verba referre, inprimis autem quod dicit *τρίτην δὲ ῥήτραν διαμνημονεύουσι τοῦ Λυκούργου* tam aperte indicat, ut mirer Hermannum has quoque rhetras antiquitus scriptas putare.

„Trium rhetrarum“ auctoritatem vel eo, quod eas antiquitus litteris mandatas esse negandum videtur magnopere elevari manifestum est. Nam etiamsi non prorsus nego, potuisse has paucas brevissimasque leges solas e longe pluribus inde a Lycurgi tempore per mille fere annos usque ad Plutarchi aetatem sola Spartanorum memoria non magnopere mutatas conservari: ista sententia certe non maiorem habet probabilitatem, quam si quis contendit, eas postea Lycurgo falsas attributas esse, id quod in nonnullis institutis factum esse suo loco probabimus. — Ex ipsa earum indole ad defendendam sententiam, eas re vera a Lycurgo profectas esse, nullum argumentum peti potest: nihil enim in iis praescribitur, quod illius aetatem aperte prodat. E contrario ea lex, qua ne Spartani scriptis legibus uterentur cautum esse dicitur, neque si prorsus etiam tum ignari artis scribendi Spartanos fuisse statuimus, neque si ea illos iam antea in publicis negotiis usos esse putamus, quomodo ferri potuerit satis intelligimus. Quo accedit, quod eam legem aut nunquam aut non diu observatam esse tantum non certum sit, quamobrem de hac quidem rhetra, num possit ad Lycurgum referri, vehementer dubito.⁶⁷

66) Plut. Lyc. 18. πολλοὺς ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τῆς Ὀρθίας ἐωράκαμεν ἐναποθνήσκοντας ταῖς πληγαῖς. Id. Ages. 19. ἡμεῖς δ' εὖρομεν ἐν ταῖς Λακωνικαῖς ἀναγραφαῖς κτλ.

67) Assentior Schoemannno qui eam fabulosam iudicat. Antt. pag. 132. annot. 15. cf. Urlichs, l. c. pag. 237.

Altera rhetra, qua Spartani vetantur frequentes contra eosdem hostes expeditiones suscipere, valde obscura est et difficilis: quamobrem certum de ea utrum genuina sit, an non sit, iudicium pronuntiare non ausim. Quas quaestiones diiudicatu difficillimas eo libentius in medio relinquo, quia etiamsi possent fortasse ad certiore[m] aliquem finem perduc[i], (quam laudem doctiores assequantur per me licet) non multum inde ad totius reipublicae Lycurgeae indolem planius perspiciendam auxilii nos percepturos esse puto.⁶⁸⁾

Longe diversa et prorsus a tribus quae dicuntur rhetris seiungenda est illa longior quam in sexto Lycurgi sui capite Plutarchus ita commemorat, ut eum se ipsa illius documenti verba afferre significare appareat. Quae quod valde corrupta in codicibus leguntur librariorum inscitiae tribuendum videtur, quos antiquum et horridum illud loquendi genus non satis intellexisse non est quod miremur. Quae tamen corruptelae non sustulerunt miram quam rhetra etiam nunc prae se fert antiquitatis speciem, propter quam non dubito Muellero assentiri, qui Plutarchum illam legem non e solis Spartanorum narrationibus afferre, sed eam aequae ac vetus de Lycurgo oraculum et induciarum formulam, de qua dictum est, antiquitus literis mandatam fuisse contendit. Quam priscae antiquitatis speciem et in singulis verbis et in universo loquendi genere conspicuam si quis cum Goettlingio callido cuidam falsario qui antiquissimum sermonem scite imitatus sit tribuere mavult, nae is vitare cupiens minorem difficultatem maiore se implicabit. Quod praeclarum antiquitatis Laconicae monumentum quum in editionibus Plutarchi mendosissime scriptum legatur, (nam alia quae aperte sunt corrupta intacta reliquerunt,

68) Nitzschius, d. H. H. I. 61. „tres rhetras“ non a Lycurgo, sed haud ita multo post, incerto et tempore et auctore perlatas et scriptas esse statuit, quae sententia tam est vaga et parum definita, ut prope nihil ad quaestionem solvendam prosit.

alia aut temere aut parum feliciter tentarunt editores) afferenda mihi videntur rhethrae maioris verba, hanc in formam ab Urlichsio redacta:

Διὸς Βουλαίου καὶ Ἀθανᾶς Βουλαίας ἱερὸν ἰδρυσάμενον, φυλὰς φυλάξαντα καὶ ὠβὰς ὠβάξαντα, τριάκοντα πρεσβυγενέας σὺν ἀρχαγέταις γερουσίαν καταστήσαντα οὕτως ὥρας ἐξ ὥρας ἀπελλάζειν μεταξὺ Βαβύκας τε καὶ Κνακιῶνος εἰσφέρειν τε καὶ ἀφίστασθαι δάμω δὲ κυρίαν ἡμεν καὶ κράτος.

Singularum emendationum causae et rationes in dissertatione saepius laudata accurate sunt expositae. Cui unam tantum rem eamque haud magni sane momenti addere possum: Ἑλλανίου et Ἑλλανίας, quod e coniectura recipit Bryanus quem plerique secuti sunt, nuper in Codice Parisino F^a repertum est, cuius variam scripturam affert Sintenisius in Plutarchi sui volumine IV, quod Urlichsius quum id scriberet conferre non potuerat. Qua re magno opere videtur confirmari Bryani coniectura. Sed si quis accurate eius codicis scripturas perpendet, facile videbit eum nonnullis locis manum librarii haud indocti prodere qui eum passim emendare conatus sit. Quod hic quoque factum esse, ubi codices antiquiores et meliores verba praebent aperte corrupta, veri est simillimum. Quamobrem Ἑλλανίου etiam nunc pro coniectura, licet satis antiqua sit, habendum est. Quam omnino non esse veram satis validis argumentis assentiente Urlichsio (pag. 204) demonstravit Goettlingius.

Quam rhethram unde petierit Plutarchus non addit, sed haec est quaestio haud difficilis explicatu. Potest enim ipse e Spartanorum annalibus eam descripsisse, in quibus quum non sola regum eorumque propria quorum nomina sed oraculi responsum quoque de Lycurgo exstare ipse Plutarchus testetur, quid impediti est, quominus legem quoque illam in fastis publicis fuisse et inde descriptam esse putemus a Plutarcho, qui in iisdem fastis nomina uxoris et filiarum Agesilai regis investigavit? Nihil mehercle obstat quominus id factum esse confidentissime affirmem, nis:

quod altera in promptu est explicatio non minus facilis et nescio an probabilior etiam quam illa. Nam quum Plutarchus de nominum quorandam quae in illa rhetra exstant explicatione ad Aristotelis testimonium provocet, unde apertum est illum quoque de gravissimo antiquitatis Laconicae monumento egisse, quid potest esse veri similis quam Plutarchum, (qui haud raro quem in longiore aliqua libri parte auctorem sequitur ita nominat, ut eius testimonio uno tantum in loco uti videri possit,) ipsam rhetram ab Aristotele petiisse, quem eam in *πολιτεία Λακεδαιμονίων* exhibuisse et diligenter explicasse puto. Aristoteles enim quam veterum documentorum studiosus fuerit inde satis apparet, quod librum de Pythionicis scripsit et quod de Iphiti disco egit.⁶⁹⁾ Quod autem antiquiores quos de rebus Laconicis praecipuos auctores adhibere solemus, Herodotus, Thucydides, Plato, Xenophon illam rhetram non cognovisse videntur, quum nullam usquam eius faciant mentionem, non potest eam habere vim, ut genuina eius et prisca origo in dubium vocetur. Nam illos scriptores vetera monumenta eadem diligentia, qua Aristotelem et Plutarchum id fecisse vidimus investigasse non potest demonstrari.

Sed quaeritur, quo potissimum tempore rhetra illa sine dubio pervetusta literis mandata sit. Quod Nitzschius⁷⁰⁾ ipsius Lycurgi tempore eam scriptam esse statuit, id neque ille ullo idoneo argumento confirmavit, neque equidem contendere ausim. Nam unam quae ad ipsum Lycurgum pertinet apertam artis scribendi commemorationem⁷¹⁾ huc afferri oportere non puto, quum in illa de Lycurgi voluntario exsilio narratione legatur, cuius auctoritatem valde dubiam esse supra indicavi et hac ipsa re magis etiam confirmari puto. Neque credo iam ante Lycurgum vel huius ipsius

69) cf. Plut. Solo. 11. Lyc. 1.

70) Nitzsch, de H. H. I. 58.

71) Plut. Lyc. 29. τὸ μάντευμα γραψάμενος εἰς Σπαρτην ἀπέστειλεν.

tempore regum Spartanorum nomina inscribi coepta esse, nam ea ipsa nomina, quae Lycurgi aetatem proxime antecedunt valde dubiae esse auctoritatis et fabulosa potius quam historica et vera videntur. Sed haud ita multo post Lycurgum eam legem literis mandatam esse apparet e Plutarchi testimonio, cui cur fides derogetur omnino nullam video causam, Theopompum et Polydorum reges novam quam pertulerunt legem sub rhetram Lycurgeam adscripsisse. — Satis antiquis certe temporibus publicas res literis mandari Spartaе haud inusitatum fuisse exemplis nonnullis comprobare liceat. Anno 676. a. Chr. n. ei qui in Carneorum certaminibus vicerant, inscribi coepti sunt; regum nomina, etiamsi Grotii rationes sequimur, qui omnibus, quae non prorsus certa et dubitatione libera sunt fidem omnino derogare solet, aliquanto prius; deinde oraculum de Lycurgo in antiquissimis Spartanorum fastis invenerat Plutarchus⁷²⁾ qua re magis etiam confirmatur id quod vel per Herodoti verba⁷³⁾ vix posset in dubium vocari, antiquam apud Spartanos fuisse consuetudinem, oraculorum responsa a Pythiis pro republica impetrata, publice literis mandari, nam nisi scripta fuissent, quomodo reges et Pythii munus eorum asservandorum habere potuerint, non satis intelligo.

Quamobrem antiquam et genuinam esse rhetram de qua agimus, tam gravibus argumentis confirmari videtur, ut cur id ita se habere negetur aut in dubium vocetur nulla omnino appareat causa. Neque quidquam obstat, quominus ad Lycurgum eam referamus auctorem, ad quem eam pertinere scribit, qui solus omnium quos reliquos habemus scriptorum veterum eius mentionem facit, Plutarchus, a cuius testimonio si quis ita discesserit, ut ad aliquod tempus ab eo diversum eam referre malit, testimoniis

72) Plut. adv. Colotem, 17. § 2. (pag. 1366. Did.)

73) Herod. VI. 57. τὰς δὲ μαντητὰς τὰς γινόμενας τούτους φηλάσσειν, συνειδέναι δὲ καὶ τοὺς Πυθίους.

prorsus destitutus meris coniecturis sententiam suam defendere cogetur. —

Reliquum est, ut de forma et argumento rhetrae pauca dicamus, de qua quae hucusque prolata sunt sententiae non possunt probari. Muellerus enim⁷⁴⁾ rhetram ita accipit, quasi Apollo Delphicus legumlatorem (Lycurgum enim non nominat) alloquatur, eique quid faciendum sit praescribat. Id quod ferri fortasse posset, si legislator quisquis ille erat aut nominaretur, aut paulo apertius significaretur. Sed quod Muellerus reliquas quoque quae dicuntur „tres rhetras“ non leges sed oraculi responsa esse contendit, neque cum argumento earum convenit, nam in omnibus vetatur aliquid ne fiat, id quod legum magis quam oraculorum proprium est, neque cum forma earum, quae tam longe differt ab omnibus quae haud pauca numero a veteribus scriptoribus passim commemorantur oraculorum responsis, ut confidam neminem qui eas cum his comparaverit concessurum esse eas rhetras adnumerari posse oraculis. — Hermannus autem rhetras tabulas quasdam (quas plura quam nunc habemus continuisse nullo argumento ab eo probatum esse dictum est) foederis a Lycurgo inter reges et populum restituti, tres numero, Delphici oraculi auctoritate sancitas et confirmatas, fuisse contendit. Sed quanquam vocabulum ῥήτρα nonnunquam sine dubio foedus significet, haec non sola erat nominis quod latissime patebat significatio. Hic autem ne ita accipiamus hoc obstat, quod a foederis tabula aperta eorum inter quos foedus conveniat et eorum quae altera pars alteri vel concedat vel polliceatur commemoratio abesse non potest, quam quum in quattuor rhetris omnino desideremus, eas non possumus pro foederibus habere.

74) Mueller, Dor. I. 134. II. 80.

Caput II.

De diversis in Laconia hominum generibus.

§ 1.

De Perioecis.

In singulis constitutionis Lycurgeae partibus pertractandis ne sine ulla necessitate a bono quem Muellerus secutus est ordine discedamus, initium faciamus a diversis hominum generibus quibus Laconica civitas constabat describendis. Et primum quidem de eis hominum generibus agemus, quae ipsa quidem civitatis et aequi iuris expertia, sed fundamentum quoddam erant quo carere tota illa respublica omnino non poterat. Quorum quae in Laconia origo et conditio fuerit quum explicaverimus, deinceps quae de ea re per ceteras Doriensium civitates investigare potuerimus cum rerum Laconicarum constitutione comparanda afferemus. Duo autem erant diversa et prorsus seiuncta genera eorum qui Spartanorum imperio obnoxii erant, de quibus seorsum agendum est: Perioeci et Hilotae.

Et primum quidem quod Grotius contendit¹⁾ Perioecos maiore certe ex parte Dorienses fuisse, prorsus videtur reiiciendum. Nunquam enim, quantum scimus, Dorienses a Doriensibus, nisi bello victi erant, civitate aequoque iure

1) Groti, history of Greece. II, 482.

privati sunt, nec ullam, cur hoc a Spartanis factum esse putet, probabilem causam affert. Deinde ne sibi quidem ipsi satis constare videtur, qui parvum fuisse Doriensium, quum primum Laconicam occuparent, numerum perhibet²⁾, et paulo post tantas eis copias attribuit, ut per centum Laconiae oppida distributi ubique maiorem incolarum numerum officerent. — Mihi quidem veri propior videtur Muelleri³⁾ sententia, qui validis argumentis comprobat, Perioecorum Lacedaemoniorumve maiorem partem originem ducere ab Achaeis qui ante Heraclidarum reditum Laconiam obtinuerant. Sed recte Schoemannus⁴⁾ monet, non solos Achaeos sed alias quoque nationes nonnullas, Cynurios imprimis et Sciritas quos Spartanis subditos fuisse notum est, Perioecis adnumerandos esse. Quum vero illi sine dubio post Lycurgum demum in Spartanorum potestatem redacti sint, Lycurgi tempore praeter Achaeorum, veterum Laconicae incolarum, partem aliquam nulli Spartanorum Perioeci fuisse videntur.

De Perioecorum origine Strabo Ephorum haec narrasse refert⁵⁾: „Eurysthenem et Proclum Laconicam in sex partes divisisse, earumque unam, Spartam, totius regionis caput, ipsos tenuisse, Amyclas Philonomo, qui Achaeis persuasisset, ut urbe terraque sua sponte decederent, concessisse, in quattuor reliquas partes,“ (secundum Muelleri splendidam coniecturam, qua optime restituitur locus mutilus) „reges misisse, qui propter hominum paucitatem peregrinos quoslibet in civitatem admitterent. Sic Perioecos omnes Spartanis paruisse, sed nihilominus aequi iuris et civitatis et honorum participes fuisse, Hi-lotasque (vocos) esse. Sed Agidem regem eos aequo

2) Grote, *history of Greece*. II, 436.

3) Mueller, *Dor.* II, 16. seqq.

4) Schoemann, *Antt.* i. p, Gr. 112 annot. I.

5) Str. lib. VIII, pag. 365.

„iure privatos tributarios fecisse, et alios quidem id tole-
 „rasse; solos Heleos (qui Helos oppidum tenerent), quum
 „defecissent, vi subactos et in servitutum redactos esse.“⁶⁾
 Qui locus si accurate ex Ephori libris excerptus est, non
 possumus non mirari, quam confusa et pugnancia Ephorus
 de his rebus narraverit. Ephorus enim Achaeorum con-
 ditionem ita describit, quasi civitate et iure honorum prae-
 diti sive cives optimo iure fuissent. Qui si revera eorum
 fuisset status, non potuissent Perioeci vel subditi (ὑπήκοοι)
 vocari, quae nomina nisi de iniqua et inferiore conditione
 usurpari non possunt.

Deinde quod idem dicit Perioecos Hilotas vocatos esse
 inepta est rerum diversissimarum confusio, et omnes
 praeter Heleos tam fuisse ignavos, ut civitate se privari et
 tributum sibi imponi patienter tolerarent, vix est quod
 credere possimus.

Deinde quod Perioecos peregrinos, adventicios homines
 fuisse,⁷⁾ Achaeos e contrario patriam suam reliquisse nar-
 rat, hoc satis refutatur Pausaniae testimonio⁸⁾ qui planis
 verbis dicit, nonnullis saeculis post Heraclidarum reditum
 Achaeos etiam tum Amyclas Geronthras Pharin et Helos
 tenuisse, easque civitates ab eis demum Spartanorum re-
 gibus, qui proximo post Lycurgum saeculo vixerunt, ex-
 pugnatas esse, quae res egregie confirmatur narrationibus
 nonnullis seu fabulis de diuturnis bellis quae Spartani cum
 Amyclaeis gesserint.⁹⁾ Quibus de causis omisso Ephori
 testimonio ita potius Laonicam a Doriensibus occupatam
 puto (de qua re partim cum Muelleri partim cum Grotii

6) De ea quam Ephorus in sequentibus narrat Hilotarum ori-
 gine postea pauca dicentur.

7) Eph. ap. Str. VIII. 365. δέχεσθαι συνοίκους τους βου-
 λομένους τῶν ξένων et ibid. 366. καὶ αἰτίαν τούτου
 λέγει, ὅτι ἐπήλυδας ἀνθρώπους δεξιόμενοι δι' ἐκείνων
 ἐδυνάστευσαν.

8) Paus. III, 2. 5—7.

9) cf. Mueller, Dor. I, 92. annot. 4.

sententiis mihi convenit) ut pars quaedam Achaeorum, qui in proeliis pedestribus gravi armaturae illis propria sine dubio impares erant, statim in Doriensium potestatem redigeretur regumque eorum imperio parere, tributum pendere, agrorum denique magna parte cum ipsis qui eos colerent servis victoribus cedere cogerentur.

Maiora autem Achaeorum oppida et seu locorum natura sive arte munitiora Spartani, oppugnationum imperiti, vi expugnare non poterant, qua re factum est, ut Achaeorum haud exigua certe pars libertatem diu tueretur, quam rem egregie post Muellerum demonstravit Grotius (quod eo magis est verisimile, propterea quod Pylum Messeniae quum primum exardesceret Messeniaceum bellum, Argolidis autem civitates nonnullas tantum non semper ab imperio Doriensium liberatas fuisse constat.) Quod vero per nonnulla saecula libertatem tueri potuerunt illae Achaeorum civitates, quum proxime abessent Spartani, id sine dubio magna ex parte a seditionibus illis turbisque intestinis repetendum est, quibus Spartanorum civitatem inde a Laconica a Doriensibus occupata usque ad Lycurgi tempora laceratam esse plurimis gravissimisque quae supra citavimus veterum scriptorum testimoniis constat: quo tempore Spartanos non satis valuisse ad bellum finitimis suis inferendum non est quod miremur.¹⁰⁾ Tum demum, quum reipublicae constitutio a Lycurgo ad bonum ordinem redacta et antiqua et severa disciplina restituta novisque quasi firmamentis et vinculis aucta esset ita invaluerunt Spartani, ut primum regnantibus eis qui proximi fuerunt a Lycurgi aetate eas quae etiam tum liberae essent Achaeorum civitates in suam redigerent potestatem, tum omnibus deinceps finitimis populis

10) Narrationes enim quae feruntur de longinquis expeditionibus magnisque victoriis eorum qui ante Lycurgum fuerunt regum nil moror, quarum quam fluxa sit fides, et Muellerus (Dor. I. 99) et Grotius luculenter demonstrarunt.

Argivis Arcadibus Messeniis bellum ultro inferre, at finesque suos ab omni parte late propagarent. Quae sors fuerit eorum qui ultimi tandem a Spartanis victi sunt Achaeorum, quum Pausanias de ea re non satis accurate loqui videatur, certe effici vix poterit. Quod quidem dicit: πόλιν τῶν περιουκίδων ἠρωδραποδίσαντο Αἴγυν, aliter intelligere non possum nisi ut Aegyptas in Hilotarum ordinem relatos putem. Idem eis qui Helos oppidum incolebant accidisse suspicor, nam si haec inter Perioecorum civitates fuisset, oriri vix potuisset opinio ab illo oppido originem et nomen duxisse Hilotas. Geronthratis et Pharitis Pausanias concessum esse dicit, ut traditis oppidis liberi abirent e Peloponneso, et Geronthras Doriensium coloniam deductam esse¹¹⁾: qui quo iure fuerint et qua conditione non liquet. Quanquam hi quidem Perioecis adnumerati esse videntur, quum cives optimo iure ullos fuisse praeter eos qui Spartae habitarent non est verisimile, propterea quod Herodotus¹²⁾ planis verbis dicit, Spartam esse unam Spartanorum urbem a qua reliqua oppida omnia accurate discernit. Sed Grotii coniectura de Dorica Perioecorum origine hoc uno exemplo satis confirmari mihi non videtur. — Amyclaei quin Perioeci fuerint, non est quod dubitemus. Messenia a Spartanis occupata nonnulla certe Messeniorum oppida (quae in universa illa regione non multa numero fuisse Grotius¹³⁾ probat) Perioecis addita esse, quamvis Pausanias ita loqui videatur, quasi Messenii cuncti in Hilotarum conditionem redacti essent, negari non potest, quum nonnullae commemorentur Perioecorum civitates in ea quae Messenia

11) Paus. III. 22. 5. cf. III, 2. 6.

12) Herod. VII, 234. πλήθος μὲν πάντων τῶν Λακεδαιμονίων πολλόν, καὶ πόλις πολλαί "Ἔστι ἐν τῇ Λακεδαιμονίᾳ Σπάρτη, πόλις ἀνδρῶν ὀκτακισμίων μάλιστα καὶ . . . οἷγέ μὲν ἄλλοι Λακεδαιμόνιοι τούτοις μὲν οὐκ ὁμοῖοι, ἀγαθοὶ δέ. —

13) Grote, Hist. o. Gr. II, 578.

fuerat regione sitae.¹⁴⁾ Quamobrem non possum non as-
sentiri Muellero¹⁵⁾ de hac re quod centum oppidorum La-
conicorum numerum, qui a Strabone et Stephano Byzantio
nonnunquam commemoratur, ad eam referendum esse ae-
tatem existimat, qua occupata Sciritide Cynuria et Messenia
Lacedaemoniorum fines latissime patebant. Centum illa
oppida omnia Perioecorum fuisse, quae Muelleri est sen-
tentia a Lachmanno comprobata, etiamsi certis argumentis
defendi non possit, non tamen est, cur negemus. Speciosa
est Muelleri coniectura, qui suspicatur¹⁶⁾, eam quam supra
commemoravimus Laconicae in quinque (praeter ipsam
Spartam) regiones divisionem, quarum capita fuerint haec
oppida, Amyclae Las Pharis Aegys et sive Geronthrae
sive Epidaurus Limera¹⁷⁾, tum demum quum universa La-
conica Spartanis pareret factam esse et ad solos Perioecos
pertinere. Cum qua divisione comparat eam quae Cre-
sphonti tribuitur Messeniae in quinque pagos divisionem,
sed (quae prudentia et cautela virum praeclarum ne in
summa quidem divinandi audacia nisi raro deficit) obscuram
hanc esse rem addit, de qua certi nihil affirmari possit.
Lachmannus autem¹⁸⁾ certi aliquid de ea re se invenisse
opinatus vetera quidem testimonia nulla nova attulit, sed
diversissimis rebus inter se comparandis quaestionem di-
rimere conatur. — Statuit enim, eadem prorsus ratione qua
Sparta quinque vicis (κώμαις) constabat, reliquam Laconicam
in quinque pagos divisam fuisse, Messeniamque tum demum
quum a Spartanis occupata esset, similiter ab his divisam
esse, ut inde a bellis Messeniaticis omnis Lacedaemoniorum
ditio decem pagis constaret, quorum singuli binos haberent

14) Xen. Hell. III, 3. 8. cf. Muell. Dor. II, 18.

15) Mueller, Dor. II, 18.

16) Mueller, Dor. II, 19.

17) Quam divisionem ab Ephoro false primis Spartanorum
regibus attribui manifestum est, qui dividere non poterant
quae non obtinebant.

18) Lachmann, Spart. Staatsverfassung. pag. 179—183.

procuratores (ἀρμοστές) quos cum binis universae civitatis regibus comparat. Nam viginti procuratores, quem numerum uno tantum scholiastae ad Pindarum loco commemoratum invenimus, Perioecis praefuisse audacissime statuit Lachmannus. Qui deinde parum sibi constans singulos procuratores quinque Perioecorum oppidis praefuisse contendit, quae iterum cum quinque vicis Spartaee comparat, quasi tam vagis et temerariis coniecturis nullis omnino testimoniis veterum munitis aliquid lucraremur. Sed longius etiam numeros computandi studio abripitur Lachmannus, qui in „oppidorum“ locum (πόλεις autem Perioecorum saepissime nominantur) „partium“ vel „circularum“ nomine substituto mira cum confidentia perhibet, aequalem Perioecorum in singulis partibus fuisse numerum, (quorum, quum triginta millia essent agrī sortium, tricena capita singulis partibus attribuenda esse) quam coniecturam, quum oppida illa eundem omnia habuisse incolarum numerum nullo testimonio probetur et per se multo minus sit verisimile, quam alia maiora alia minora fuisse temerariam et omnino reprobendam censere non dubito.

De municipiorum Laconicorum constitutione pauca tantum neque certe ea, sed valde probabilia disputat Muellerus¹⁹⁾: Perioecos in suis singulis oppidis aliqua saltem libertate et communione fructos esse, quum nisi ita fuisset, ne dici quidem potuissent civitates (πόλεις) Perioecorum, neque quidquam obstare, quominus credamus eos suos magistratus sibi elegisse. Quod enim Spartani Cythera e civibus suis aliquem procuratorem mittebant, (qui κυθηροδίκης vocabatur) inde minime consequitur, reliquos Perioecos omnes pariter a Spartanis per procuratores gubernari solitos esse: nam quum insula illa in bellis praecipui esset momenti²⁰⁾, veri est simile Spartanos illius securitati singulari cura praeter ceteris Laconicae partibus consuluisse. Isocratis autem

19) Mueller, Dor. II, 25.

20) Herod. VII, 235. cf. Thucyd. IV, 53. 54.

testimonium nil moror qui „Spartanos plebem ad Perioecorum conditionem redegisse, animosque eorum non „minus, quam servorum oppressisse“ oratorie magis quam vere contendit.²¹⁾ Fortasse non sine probabilitate suspicamur, illud quod supra notavimus et reiecit testimonium Ephori, qui Perioecos civitatis et iuris honorum aliquando participes fuisse dicit, inde oriri potuisse, quod ille ius

21) Quum Isocratis qui multis locis rerum Laconicarum mentionem facit testimonia frequenter usurpari viderem et haud raro (a Lachmanno inprimis, qui plerumque diversissimis testimoniis ita uti solet, quasi nullum discrimen statuendum et observandum esset inter diversorum veterum scriptorum auctoritatem) ita quasi ille probatissimae fidei esset auctor, comparatis omnibus quae apud eum reperiebantur locis ad res Laconicas spectantibus, quatenam de his rebus eius sit auctoritas investigare studui. Quorum locorum plerosque ita comparatos inveni, ut fides eis nulla fere habenda sit, qua re factum est, ut mihi persuaderem, Isocratis de rebus Laconicis, nisi aliunde quae dicit confirmantur, prope nullam esse auctoritatem. Quod ne calidius aut iniquius iudicasse videar, locos nonnullos afferam, Quod Archidamum (Archid. 1) concionantem facit, ad Atticarum rerum similitudinem effinxisse videtur: e Laconicis certe legibus id fieri non potuisse suo loco demonstrabimus. — Messeniam statim post occisum Cresphontem Apollinis Delphici iussu et auctoritate occupatam esse, (Archid. 7. § 23) certissimorum de bellis Messeniis testimoniorum consensu refellitur; neque dubito quin hoc loco consulto effinixerit quae ei quam agebat rei convenirent. Deinde rerum Laconicarum constitutionem tum (Panath. 63) ab Atheniensibus tum (Busir. 8. § 17—18) ab Aegyptiis desumptam esse narrat, quibus opinionibus vanius et falsius nil excogitari potest. Quae de Perioecis refert (Panath. 73. § 179 sqq.) duobus eisque quodam modo contrariis seu erroribus seu commentis corrupta sunt: primum enim ita agit, quasi Perioeci plebs fuissent a Spartanis tanquam superbis optimatibus oppressi, quam diversum populum eos fuisse et bello victos esse satis constat; deinde de Perioecis nonnulla dicit, quae sine dubio ad Hilotas tantum pertinent.

illud municipale, quod Perioecorum singulis oppidis fuisse videtur cum civitate, quam Spartanos eis unquam concessisse nego, confuderit, et inde illud effinxit aequum ius quod si unquam habuissent Perioeci quomodo amittere potuissent difficile est dictu. Sed de Perioecorum civitatibus non plura me quam Muellerum reperisse ingenue profiteri malo, quam cum Lachmanno in lubricas coniecturas evagari. Qui non contentus eis, quae veterum testimoniis aliqua certe ex parte probari possunt ita statuit, Lysandrum quum decemviros singulis quae occupasset oppidis praeficeret eorum res ad exemplum municipiorum Laconicorum constituisse. Inde consequi opinatur in singulis Perioecorum oppidis summam potestatem fuisse penes decemviros e locupletioribus civibus qui nobilitatem quandam municipalem efficerent creatis. Sed inter ipsos Perioecos diversos fuisse ordines nil est nisi mera Lachmanni coniectura. Nam neque *λογάδες* neque *καλοικαγάδοι* neque *χαριέστατοι* Perioecorum certum aliquem ordinem aut nobilitatem fuisse satis ostendunt, immo in omnibus illis locis multo maiore cum probabilitate ei intelliguntur qui suoapte ingenio suisque virtutibus prae ceteris illustres erant.²²⁾

Spartanorum vero iuris et plenae civitatis Perioecos non participes fuisse certum est, quum non possent eas condiciones explere, quibus neglectis ne eos quidem qui a Spartanis parentibus procreati erant ius suffragii et ius honorum exercere potuisse sub huius capituli finem accuratius exponemus. — Publicae enim educationis Perioecos expertes fuisse inde consequitur, quod *οἱ ἐκ τῆς ἀγωγῆς* opponuntur *τοῖς ἐκ τῆς χώρας παισίν*.²³⁾ Deinde Spartani omne suum tempus reipublicae et exercitationibus publicis

22) Hanc quam defendimus sententiam Hermannus iam protulit in censura libri Lachmanniani docta et copiosa quae legitur in „Jahrbücher für wissenschaftliche Kritik“. 1837. Bd. II.

23) Athen. XV. pag. 674.

debebant, quamobrem si quis eorum labore non abstinebat, capitis deminutionem subibat; nam Spartanis victus sine ulla ipsorum opera ab Hilotis praebebatur, quem Perioeci suo labore sibi parare cogebantur. Hilotas enim non et Spartanorum et Perioecorum, quae Tittmanni videtur esse sententia, sed solorum Spartanorum agros coluisse, certum mihi videtur. Nullum certe reperi testimonium quo contraria illa opinio ulla ex parte defendi posset.

Quod si Perioecos iniquo cum Spartanis foedere conjunctos fuisse certo constat, non possumus non assentiri Muellero, qui comitiis eos adfuisse prorsus negat. Nam quod olim Cragius et recentiore tempore Manso putarunt, inter maiorem concionem et minorem quae dicitur id intercessisse discriminis, ut in maiore Lacedaemonii cuncti, in minore soli Spartani suffragia ferrent, facillimam quidem et simplicissimam explicationem minoris concionis praebere videtur, sed rem longe aliter se habere egregie demonstravit Muellerus.²⁴⁾ Qui illam opinionem falsa Lacedaemoniorum nominis interpretatione niti docet, quod quum nonnunquam omnes et Spartanos et Perioecos complectatur saepius nil nisi solenne totius civitatis nomen est, nulla illius differentiae quae inter Spartanos et Perioecos intercedebat ratione habita: si vero res ita postularet, ut Dorienses accurate discernerentur a Perioecis illi Spartani dicebantur. Deinde valida ratiocinatione luculenter demonstrat, quantis difficultatibus impedita sit eorum qui Perioecis ius suffragii attribuant opinio. Quibus argumentis, quum ad universam reipublicae Lacedaemoniorum constitutionem Lycurgeam recte intelligendam summi sit momenti, ut bene discernatur inter diversas hominum qui in Laconia erant classes, pauca addere liceat quae Muellerus neglexit. Primum enim Perioecorum numerum longe maiorem fuisse quam Spartanorum, etsi numeri illi accurate computari non possunt,

24) Mueller, Dor. II, 19. 20.

certo consequi videtur ex illo quem supra attuli Herodoti loco, neque si concedimus maiorem partem centum oppidorum quas Perioeci habitabant, exigua fuisse, credibile est, ea omnia haud ita multo plures habuisse cives, quam unam Spartam, quae ne ipsa quidem inter maximas Graeci nominis urbes erat. Porro quum in comitiis Lacedaemoniorum maior numerus vinceret, (etiamsi accurate numerari suffragia²⁵⁾ non solerent Perioeci), si ius suffragii habuissent, concordēs inter se quidquid vellent perferre potuissent, quamvis dissentientibus et resistentibus Spartanis. Quanquam Hermannus²⁶⁾ putat id ne fierit satis cautum fuisse ea lege, quae comitia prope Spartam inter Cnacium et Babycam fieri iubebat; non enim facile Perioecos ab extremis Laconiae finibus, relictis suis negotiis Spartam venturos fuisse suffragiorum ferendorum causa. At quid tum, si quando aliquot millia Perioecorum, id quod cur fieri non potuisset non video, Spartam convenissent ad suffragia ferenda? Nonne tum commutare statim potuissent reipublicae constitutionem, quae ipsis satis placere non poterat? Jure meo agere mihi videor, quod confidenter nego rerum Laconicarum constitutionem tam firmam et stabilem, quam eam fuisse constat, evadere ullo modo potuisse, si isto debili et invalido fundamento niteretur. — Deinde Aristoteles²⁷⁾ planis verbis dicit, ephoros ex universo populo (qui sine dubio non diversus est ab eis qui suffragii in comitiis ferendi ius habent) sine ullo discrimine et ut videtur fortuito quodam casu potius quam certa aliqua ratione creatos esse. Quodsi igitur Perioecos comitiorum participes fuisse putamus, nulla omnino est causa, cur ad ephoratum quoque eos pervenire potuisse negemus. Si vero ephori ex Perioecis fieri potuissent, Perioeci quomodo a Spartanis satis iniquo alioquin foedere obstricti

25) Thucyd. I, 87.

26) Hermann, Antiquitt. Lacc. pag. 44.

27) Aristot. Polit. II, 6.

tenerentur, omnino non intelligo, neque Tittmannus, qui Perioecis quoque aditum illius magistratus patuisse existimat, quidquam probavit, nisi se, principali illo, qui in singulis prope capitibus libri quem de Graecorum civitatibus maiore cum assiduitate quam diligentia conscripsit reperitur, errore, quod in omnibus Graecias civitatibus inde a primis originibus populares reipublicae constitutiones fuisse opinatur, occaecatum Spartanorum quoque civitatis quaenam vera fuerit indoles minime perspexisse. Nam quum voce δῆμος Perioecos quoque comprehendere contendat omnem rerum Laconicarum memoriam ita turbat et confundit, ut nulla amplius eius ratio habenda esse mihi videatur.

Sed etiamsi civitatis et aequi cum Spartanis iuris expertes fuisse Perioecos vehementer contendam, non tamen eos omni ex parte deteriore quam Spartanos conditione fuisse opinor. Nam quum cives optimo iure non essent, officiis quoque quibusdam gravissimis quibus Spartani ut locum suum in civitate obtinerent obstringebantur, severa disciplina, publice coenandi necessitate et privatione omnium voluptatum erant soluti. Deinde quum Spartani ipsi ab omni labore severis legibus prohiberentur, Hilotae agris colendis aut aliis laboribus a dominis sibi immanctis operam suam prope omnem navare cogerebantur, Perioeci quasi privilegium quoddam habebant exercendarum artium et mercaturae faciendae, quibus Laconia nunquam prorsus caruit, et quae non tam exigui quam vulgo creduntur momenti fuisse Muellerus collatis summa cum diligentia et studio magnopere laudando permultis undique de singulis rebus eo pertinentibus testimoniis ita demonstravit²⁸⁾, ut multum utilitatis inde ad Perioecorum conditionem et ad res Laconicas in universum rectius intelligendas redundaret. Quare non potuit non evenire, ut Perioeci haud raro satis locu-

28) Mueller, Dor. II, pag. 21 sqq.

pletes multoque meliore privatim conditione essent quam ipsi Spartani.

Perioecos etiam tributarios fuisse constat, nam eos Lacedaemonios quos Plato²⁹⁾ regibus tributum haud exiguum pependisse dicit Perioecos fuisse apparet, non Spartanos qui e Lycurgi quidem institutis reipublicae non pecunia sed corporum suorum viribus officia sua praestare debebant. Quod enim Aristotelis³⁰⁾ aetate Spartani quoque tributum pendebant ad antiquiora tempora bellis diuturnis et longinquis priora referendum esse non videtur. Utrum vero tributum illud quod Perioeci Spartanorum regibus pendebant pecunia constiterit an statuta aliqua parte frugum non liquet. Praeter hoc tributum quod regium vocabatur reipublicae Spartanorum nullum pependisse videntur, quippe quae quum bellum Peloponnesiacum oriretur nullum etiam tum aerarium habuisse dicitur³¹⁾.

Praeterea Perioeci Spartanos in bellum proficiscentes sequi et quotiescunque a Spartanorum magistratibus vocabantur, (quod ius antiquioribus temporibus penes reges, posteriore aetate penes ephoros erat) auxilia sua sine mora emittere debebant. Quantum discernere possumus pars eorum gravibus, pars levibus armis muniti pugnabant. Videntur autem modo in easdem cum ipsis Spartanis cohortes distributi, modo seorsum ab illis pugnasse. Quamquam reperiuntur Perioeci, qui magnis muneribus bellicis fungerentur, in universum tamen non dubito, quin duces etiam minorum ordinum ex ipsis Spartanis creati soliti sint, neque unquam ulli Perioeco imperium de Spartanis mandatum esse existimo. Quod Muellerus³²⁾ eo ipso,

29) Plato, Alcibiad. I., pag. 123. (cap. XXXIX. Tauchn.).

30) Aristot. Polit. II., 6. 23.

οὔτε γὰρ ἐν τῷ κοινῷ τῆς πόλεως ἐστὶν οὐδέν.....

εἰσφέρουσί τε κακῶς.

31) Thuc. I., 141. *οὔτε ἰδίᾳ οὔτε ἐν κοινῷ χρήματά ἐστιν αὐτοῖς.*

32) Mueller, Dor. II. 21.

quod Perioeci graviter armati cum ipsis Spartanis in proeliis stabant, satis demonstrari putat, eos minime oppressos aut contemptos fuisse, nimis ni fallor urget argumentum nequaquam certissimum, nam apud Thessalos etiam Penestae, quum multo in universum deteriore essent conditione quam Perioeci, ut rectissime cum Hilotis comparari soleant, cum ipsis dominis in equitatu pugnabant, id quod in plerisque Graecorum civitatibus praecipuum quendam soliusque nobilitatis proprium honorem fuisse satis constat. — Deinde quod Muellerus e Xenophontis³³⁾ verbis consequi putat, eos tantum Perioecos qui agros colerent graviter armatos pugnasse, artifices autem et opifices levis armaturae loco fuisse ex eo loco effici posse mihi non videtur. Quos enim Xenophon χειροτέχνους dicit equidem quasi centurias quasdam fabrum fuisse suspicor, quippe quas omnino defuisse ab exercitu tam bene ordinato et composito, quam Spartanorum fuisse constat, omnino non est credendum. Quos fabros aut omnes aut plerosque e Perioecis sumptos esse quippe qui soli in eiusmodi operibus essent versati consentaneum est.

§ 6.

De Hilotis.

Prorsus diversum a Perioecis est alterum genus hominum imperio Spartanorum obnoxiorum, qui Hilotae dicebantur: de quibus ita agendum videtur, ut primum de eorum nomine et origine, deinde qua fuerint conditione quaeramus.

33) Xenoph. R. P. Lac. XII. 2. οἱ ἔφοροι προκηρύττουσι τὰ ἔτη εἰς ἃ δεῖ στρατεύεσθαι καὶ ἰππεῦσι καὶ ὀπλίταις, ἔπειτα δὲ καὶ τοῖς χειροτέχναις.

Et primum quidem veteres qui de rebus Laconicis scribunt assentientibus recentiorum plerisque Hilotarum nomen et originem ab Helo Laconicae oppido maritimo repetunt, cuius incolas a Spartanis vel propter pervicaciam defensionis vel propter defectionem in servitutem redactos esse tradunt. Cui derivationi primum nominis forma obstat, nam neque *Ἑλλως* nominis ethnici quod dicitur speciem prae se fert, neque quamvis id largiremur quomodo a nomine *Ἑλος* derivari possit intelligeretur, praesertim quum duo alia nomina incolarum illius urbis, quorum utrumque multo melius cum usitata ab oppidorum nominibus incolarum nominum derivandorum ratione convenit, a veteribus memoriae prodita sint: Pausanias³⁴⁾ enim *Ἑλείους*, Theopompus³⁵⁾ *Ἑλείτας* eos vocatos esse dicit. Deinde gravissimum videtur Pausaniae testimonium, qui refert³⁶⁾ Helos oppidum multis annis post Lyeurgum ab Aleamene rege expugnatum esse, quum eo usque libera fuisset civitas. Servos autem Spartanis iam ante Lyeurgi aetatem fuisse certum est, nam totam eius legislationem constitui omnino non potuisse, nisi Spartanis sine ullo suo labore a servis unde viverent praeberetur, plane ut spero demonstrare poterimus: nunc assentiri Muellero³⁷⁾, qui idem iam dixit, sufficet. Quamobrem omnino non audiendus est Cortuemius qui Hilotas Spartanis ante Helos expugnatum i. e. ante annum 750 a. Chr. ullos fuisse negat³⁸⁾. Neque ita res expediri potest, ut suspicemur, Spartanis servos quidem fuisse inde ab occupata Laconia, sed eos mutato nomine Hilotas vocatos esse Helo in Lacedaemoniorum potestatem redacta. Nam neque quodnam

34) Paus. III., 2 extr.

35) Theopomp. ap. Athen. VI, pag. 272.

36) Paus. I. c.

37) Mueller, Dor. II. 15.

38) Kortüm, Gesch. hellen. Staatsverfassungen pag. 33.

prius servorum apud Spartanos nomen, neque quid causae fuerit cur servorum omnis multitudo mutato nomine ab oppido aliquo recens expugnato appellaretur, ulla cum probabilitate demonstrari potest.

Non magis comprobanda est altera nominis derivatio, quam Cortuemius³⁸⁾ brevi significavit, Lachmannus³⁹⁾ argumentis confirmare tentavit, qui Hilotas nomen accepisse existimant a Laconicae regione palustri et aquosa in Eurotae ripis sita, τὸ Ἐλος vocata. Nam ne sic quidem quomodo factum sit ut brevis syllaba nominis illius produceretur satis intelligitur, neque regionem illam ita vocatam esse probatum est, neque Hilotas illam potissimum Laconiae partem tenuisse demonstrari potest, in qua nonnullae Perioecorum civitates haud ignobiles fuerunt. Praeterea in plerisque quos Lachmannus affert locis nequaquam satis constat, τὸ Ἐλος diversum esse ab oppido cui illud nomen erat, nam inde quod articulus additus est, qui saepe apud Graecos cum urbium nominibus propriis coniungitur, nihil eiusmodi concludendum erat.

Equidem comprobare non dubito eam derivationem quam Muellerus⁴⁰⁾ praebet. (Quam quidem in illis veterum scriptorum locis quos Muellerus citat non tam plane expressam puto, ut affirmare audeam eam veteribus iam notam fuisse. Sed haud omittendum videtur, iam ante Muellerum Neumannum⁴¹⁾ eandem nominis originationem protulisse et cum nominibus latinis: „servus a servando“ et „mancipium a manu capiendo“ comparasse. (Muellerus⁴²⁾ enim nomen ἔλωσ nihil aliud esse contendit nisi Participium Perfecti verbi ἔλω ut sit „captivus“, quam nominis vim egregie cum Hilotarum conditione et origine conve-

39) Lachm. Spart. Staatsverf. pag. 113.

40) Kortüm, l. c. pag. 33 annot. 5.

41) Neumann, Perum Creticarum specimen (1820) pag. 127.

42) Mueller, Dor. II., pag. 28.

nire manifestum est. Quo accedit quod eadem prorsus ratione δμῶς a verbo δαμάω deducendum est, et quod nonnulla alia servorum nomina quae sequenti sectione per-
lustrabimus similem conditionis aut originis significationem habent. — Quod Goettlingius propter diversum accentum et diversam terminationum in casibus obliquis quantitatem εἰλως et εἰλῶς idem esse posse negat, nullius est momenti, saepe enim, quod Muellerus⁴³⁾ recte contendit, fiebat, ut appellativa, quum nominum propriorum viam acciperent, aliquatenus mutarentur. Sed miror quod neque Muellerus neque adversarii eius quidquam dicendum putarunt de eo, quod Participio Activo vis passiva „captus, captivus“ tribuitur. Quae res dubitationem mihi movit priusquam in inscriptione quadam Attica similiter εὐρὸν ἀργύριον usurpatum inveni pro εὐρημένον, cum quo loco Boeckh⁴⁴⁾ conferre iubet alterum eiusdem rei exemplum apud Xenophontem (Memorab. II, 5. 5.), ut iam nulla superesse mihi videatur difficultas quae impediatur quominus derivationem a Muellero propositam assensu comprobem.

Veterum ei qui accuratius de Hilotarum origine referunt, Achaeos eos esse tradunt, a Doriensibus, quod vel pervicacius imperium eorum respuissent, vel post factam deditionem rebellassent libertate privatos et in servilem conditionem depressos. Cui narrationi id obstare videtur, quod nonnullae certe Achaeorum civitates, quae fortissime Doriensibus restiterant et post reliquas demum in potestatem eorum redactae erant, non inter Hilotas sed inter Perioecos receptas esse constat, cuius rei exempla sunt Amyclae et Geronthrae⁴⁵⁾. Deinde si Hilotae omnes Achaei fuissent, unde Doriensium exiguus exercitus satis

43) Boeckh, Corp. Inscr. Gr. Vol. I. pag. 133.

44) Mueller, Prolegomena zu einer wissenschaftl. Mythologie. pag. 428.

45) cf. pag. 37.

virium accepisset ad devincendas et vi subigendas ingentes fortissimorum hostium copias vix intelligi posset. Ne hoc quidem intelligere possemus unde factum sit, ut Achaeorum alii Perioeci, alii Hilotae fierent, quos inter se longe diversa fuisse conditione et prorsus seiunctos certum est. Neque id mihi satis explicari videtur acuta et ingeniosa Grotii coniectura, qui eos qui rure habitarent Hilotas, oppidorum incolas Perioecos factos esse et quum Laconia et quum Messenia a Spartanis occuparetur contendit. Quamobrem maxime mihi arridet Muelleri⁴⁶⁾ sententia, quam Lachmannus⁴⁷⁾ suam fecit, Hilotas indigenas fuisse Laconiae incolas, qui ab Achaeis, quippe qui et ipsi in Peloponnesum immigraverant et vi sibi illius regionis imperium vindicaverant, subacti essent. Certum enim mihi videtur id quod Muellertis contendit, numerosos Achaeorum servos, quorum apud Homerum plurimis locis mentio fit, neque emptos omnes esse, neque bello captos et vi abductos. Quos Achaeorum servos cum Laconiam Dorienses occuparent ex Achaeorum in victorum potestatem transiisse puto cum Muellero. Quanquam non ita reiiciendae mihi videntur veterum de origine Hilotarum narrationes, ut ullos Achaeorum in servitatem redactos esse omnino negem. Nam supra iam monui, Pausaniae verba ἠνδραποδίσαντο Αἴγυον ita tantum explicari posse, ut oppidi illius incolas Hilotas factos esse putemus. Deinde quomodo, si Heleatae inter Perioecos fuissent, opinio illa, Hilotas ab Helo oppido vi expugnato originem ducere, oriri et invalescere potuisset omnino non video. Quamobrem illius quoque oppidi cives a Spartanis pervicaciorum defensione exasperatis in Hilotarum conditionem redactos esse suspicor.

46) Mueller, Dor. II. 29.

47) Lachm. Spart. Staatsv. 106, cf. 108.

Hilotarum conditionem quod attinet, in universum hoc tenendum est eos non recte servos vocari. Neque enim pretio empti erant, neque a dominis venum dari poterant, quamobrem occidere Hilotas Spartanis multo etiam minus licuisse consentaneum est. Deinde servi in urbibus plerumque et in ipsis dominorum domibus, Hilotae („antiquitus castellani, agreste genus“ secundum Livium) rure, seorsum a Spartanis degebant. Porro quum servi cibum suum a dominis acciperent, neque quidquam haberent proprii, Hilotae certam aliquam et statutam frugum quas colebant partem Spartanis quotannis pendere debebant, reliqua frugum parte ipsi fruebantur. Quamobrem multo propius eorum conditionem accessisse manifestum est ad statum eorum quos „Leibeigene“ vel „glebae adscriptos“ dicimus, quem ordinem quum Graeci nullo proprio nomine a servis distinxissent, Pollux⁴⁸⁾ satis bene ita definit, ut Hilotas et complura aliarum civitatum hominum genera illas similia *μεταξὺ ἐλευθέρων καὶ δούλων* fuisse dicat. Quod vero Spartani non plenum et nullis finibus circumscriptum imperium in Hilotas, quale Graecorum plerique in servos suos, exercebant, non puto a vetusto aliquo foedere inter Spartanos quum Laconiam occuparent et indigenas icto repetendum esse. Nullo enim veterum testimonio ista nititur Muelleri⁴⁹⁾ sententia, quum recte observaverit Hermannus⁵⁰⁾ Ephorum⁵¹⁾ non de foedere sed de lege aliqua loqui; neque quae de Thessalorum cum Penestis et de Heracleotarum cum Mariandynis foederibus traduntur aut per se satis constare videntur, aut ad res Laconicas referenda sunt. Legibus autem

48) Poll. Onomast. III. 83 (ed. Bekkeri pag. 125.),

49) Mueller, Dor. II. 29.

50) Hermann, in censura libri Lachmanniani.

51) Ephorus ap. Strab. I. c.

mutua Spartanorum et Hilotarum officia descripta esse et constituta non est mirum, quum in universum Hilotae ad rempublicam non minus quam ad singulos Spartanos pertinerent. Nam non ideo tantum δοῦλοι τοῦ κοινοῦ vocati sunt, quia Spartanorum quisque aliorum quoque Hilotis si res ita ferret quasi sui ipsius essent imperare non dubitabat, (qui mos ad bonorum omnium communionem, quam aliqua ex parte Sparta valuisse postea videbimus, rectius referri videtur) sed quia magna totius imperii quod de Hilotis exercebant Spartani pars non ad singulos cives sed ad rempublicam pertinebat. Non enim privatis sed aut comitiis aut magistratibus licebat Hilotas manumittere; Spartanorum magistratus Hilotas ne quid novarum rerum molirentur diligenter observabant, in bellis, quum nonnulli Hilotarum singulos Spartanorum milites ministrorum loco prosequerentur, multo maiorem eorum numerum levis armaturae loco universum exercitum comitatum esse vix est de quo dubitari possit; reges denique defunctos Hilotae non minus quam cives et Perioeci deflere et funeribus eorum adesse cogebantur, id quod fieri non poterat, nisi ad civitatem quodam modo, non ad singulos tantum cives, pertinere viderentur. Praeterea quum agrum aliquem publicum Lacedaemoniis fuisse veri sit simile ⁵²⁾, non possumus non credere fuisse aliquos Hilotas, qui non ullius privati domini sed solius reipublicae essent proprii.

Sed singuli loci ad Hilotarum conditionem pertinentes quos modo leviter attigimus paulo accuratius nobis pertractandi sunt. Quanquam singuli Spartani non tam plenum in Hilotas quam Graecorum plerique in servos exercebant dominium, propterea quod summum de eis impe-

25) Unde enim, nisi res ita se habuisset, hostiae quae certis diebus regibus publice praeberi solebant? Quae emi non poterant, quum nullum Spartaesset aerarium. Thuc. I. 141. Plut. Apophth. Lac. Ἀνάξανδρος.

rium ad rempublicam pertinebat, magistratus tamen ita tantum Hilotarum aliquam curam habuisse videntur, ut caverent, ne commoda quae inde in rempublicam redundare oporteret minuerentur. Quamobrem consentaneum erat, singulis civibus neque venundare Hilotas, neque manumittere licere, nam sic de re quae ad civitatem aliqua ex parte pertinebat quasi de sua statuissent, neque est dubium, quin eandem ob causam occidere quoque Hilotas dominis non licuerit. Sed praeterea ni fallor Spartani Hilotis suis quocumque vellent modo imperabant, nihil certe nobis traditum est de ullo quo Hilotae a dominorum iniuriis defenderentur praesidio⁵²⁾. Quanquam quae de ignominiosa et crudeli Hilotarum tractatione narrantur non omnia vera esse sed magna ex parte aut prave intellecta aut exaggerata⁵⁴⁾ egregie Muellerus demonstravit⁵⁵⁾ hoc tamen non dubito quin Hilotae multa acerba et dura perpeti soliti sint. Quam enim asperi et superbi Spartanorum plerorumque mores fuerint, ex posteriorum saeculorum memoria satis constat. Baculo quem Spartanorum seniores semper gestabant, quo si quem iuniorum aliquid contra leges committere viderent illico vindicarent, Hilotae sine dubio saepissime plectebantur neque pueros iuvenesque illis impune illuisse minus est veri simile.

Sed quum Hilotae permulti essent numero et seorsum a Spartanis satis longe plerique ab urbe remoti habitarent, semper metuendum erat, ne grave servitutis iugum excutere conarentur, quod ne fieret a magistratibus summa

53) Qualia erant asyla servorum, quae Athenis et Corinthi fuisse accepimus.

54) Inprimis a Myrone Prienense, quem Pausanias (IV, 6. 4.) haud immerito tanquam scriptorem nullius fidei vituperare videtur. Myronis de Hilotis testimonium servavit Athenaeus XIV, pag. 657 D.

55) Mueller, Dor. II, 35.

cum cura observabantur. Quod Isocrates⁵⁶⁾ narrat ephoris quotquot vellent Perioecorum occidere licuisse, ita tantum aliquam habet veri speciem, si eum hanc quoque rem, sicut alia nonnulla, ab Hilotis ad Perioecos false transtulisse putamus, sed ne ita quidem prorsus vera habenda est illa narratio, quum in illa orationis parte Isocrates aperte id agat, ut quam plurima probra in Spartanos congerat. Mihi autem non tam ad Cryptiam (quae est Muellieri sententia), quam ad atrociam illam et rariora facinora respicere videtur qualia erant quod dicebatur ὄγος Ταυράκιον⁵⁷⁾, et duo millia illa Hilotarum a Spartanis quum bellum Peloponnesiacum gereretur per insidias occisa⁵⁸⁾. Sed non omittendum est, ephoris non in solos Hilotas tantam fuisse potentiam, sed eos nonnunquam, si reipublicae salus et securitas ita postulare videretur, cives etiam indicta causa supplicio affecisse⁵⁹⁾. Quanquam hoc nunquam factum est, nisi urgente summa necessitate et si extremum esset periculum in mora; Hilotarum autem vitam nunquam ullius pretii esse aestimatam satis apparet.

Sed quidnam erat illa Cryptia, quam Plutarchus⁶⁰⁾ ab ipso Lycurgo institutam esse tradit? Narrat enim emitti solitos fuisse lectos Spartanorum iuvenes cum gladiis, qui per regiones quas Hilotae colebant circuitent, et noctu Hilotis insidias struerent, vel interdum etiam per agros fortissimum quemque occiderent. Quam Cryptiae

56) Isocr. Panathen. 73. § 181.

57) Quod in Hilotas perpetratum esse Thucydides testatur (I, 128) cuius auctoritas sine dubio praeferenda est Pausaniae testimonio, qui (IV, 24. 5) de Lacedaemoniis loquitur. Aelianus quoque (V. H. VI, 7) Hilotas interfectos esse dicit.

58) Thucyd. IV, 80.

59) Cuius rei exempla reperiuntur apud Xenoph. Hellen. III, 3. 8 sqq. Plut. Agesil. 32.

60) Plut. Lyc. 28, ubi Aristoteles testis citatur.

descriptionem prope integram Lachmannus nec sine aliquo temperamento accipit Schoemannus⁶¹⁾. Adiecerat Aristoteles, ephoros quotannis quum magistratum inirent Hilotis bellum indixisse, ne eos occidi ulla esset religio. Sed Muellerus⁶²⁾ propter gravissimas quibus illam narrationem laborare egregie demonstravit difficultates, ita se rem habuisse negavit et e nonnullis veterum scriptorum locis antea neglectis⁶³⁾ conclusit, illius instituti id praecipuum fuisse consilium, ut iuvenes et fines custodirent et in totius Lacedaemoniorum ditiois cognitionem penitus se insinuarent et belli molestiis assuefierent, ut *κρυπτοί* similes fuisse videantur illis qui apud Atheniensis *περίπολοι* dicebantur. Quam sententiam Hermannus quoque amplexus est⁶⁴⁾. Quorum argumenta, quamvis magnam habeant probabilitatem et sine dubio veri aliquid contineant, non tamen ab omni parte probanda mihi videntur. Gravissimum enim quod obstat Aristotelis testimonium non tam facile tolli posse videtur. Quanquam quod Aristoteles Cryptiae originem ab ipso Lycurgo repetiisse dicitur, non urgendum est: saepius enim ille quae posterioribus temporibus praeter antiquiores leges Spartaë fieri coepta essent, ad ipsum Lycurgum tanquam universae reipublicae constitutionis auctorem retulit; sed aliquando exstitisse ea, quae scriptor gravissimus memoriae prodidit, negare non temere ausim. Quae difficultates nescio an ulla alia ratione tolli possint, nisi ita ut Cryptiae indolem temporis decursu mutatam esse statuamus. Probabiliter enim Muellerus et Hermannus ex eis quos attulerunt testimoniis conclusisse videntur,

61) Lachm. Spart. Staatsverf. pag. 149. 150. Schoem. Antt. i. p. Gr. pag. 111.

62) Mueller, Dor. II, 37. 38.

63) Plato, Leges I, 633. c. VI, 763. c. — Plut. Cleom. 28.

64) Hermannus in dissertatione „de vestigiis institutorum veterum imprimis Atticorum per Platonis de legibus libros indagandis.“ pag. 31.

Cryptiam antiquitus magis exercendis adolescentibus, quam opprimendis Hilotis fuisse, sed Aristotelem quid sua aetate fieret recte et vere descripsisse non minus certum mihi videtur. Quo accedit Plutarchi coniectura veri simillima, qui Spartanos non antiquitus sed inde a tertio Messeniaco bello acerbius in Hilotas saevisse putat. Ab illo igitur inde tempore quum Spartani semper ne Hilotae novas res molirentur metuerent, Cryptia quae vel inde ab ipsis reipublicae initiis fuisset, vel quod est veri similius a Lycurgo instituta esset, qua adolescentes ad belli molestias et pericula toleranda aptiores fierent, ita mutatam esse puto, ut Hilotis maxime observandis et coercendis esset. Quod ephori quotannis bellum indicebant Hilotis, sponte intelligitur, non posse factum esse priusquam ille magistratus summam in republica potestatem adeptus erat, id quod diu post Lycurgum factum esse certo constat. Equidem illam quoque consuetudinem inde a tertio bello Messeniaco invaluisse puto. Ab illo enim inde tempore Spartani Hilotas semper hostes quodammodo iudicasse videntur, vi coercendos, neque ab ingenio eorum abhorret, quod putabunt, illa belli indictione rite pronunciata sibi neque divini neque humani quidquam obstare, quominus si res ita postulare videretur, quotquot vellent Hilotarum interficerent.

Tributum quod Hilotae Spartanis pendebant, non a singulis dominis ad arbitrium exactum, sed certa aliqua lege quae universam civitatem teneret ita constitutum fuisse ut augeri non posset certum est⁶⁵). Hoc quoque manifestum est, tributum non pecunia sed frugibus constituisse; nam fruges non pecuniam ad publicas coenas conferre debebant Spartani. Quod vero Plutarchus⁶⁶) narrat, tributum, quod e singulis agrorum sortibus quales Lycurgus Spartanis distribuisset rediret, tantum fuisse, ut pater

⁶⁵) Plut. Instt. Lacc. 51.

⁶⁶) Plut. Lyc. 8.

familias septuaginta uxor duodecim modios hordei et convenientem vini copiam inde acciperet, tam obscure est dictum, ut vix intelligi posse videatur. Deinde aequalem agrorum distributionem a Lycurgo factam esse, cur non possimus credere, postea explicabimus, qua agrorum aequalitate sublata certam illam et generalem tributi descriptionem cogitari non posse sponte intelligitur. Quamobrem Plutarchi illud testimonium et unde petitum et quo referendum sit nos nescire fatendum est; computationes autem quas in isto debili et infirmo fundamento, multis e coniectura additis, Muëllerus exstruere conatus est quam fallaces sint et quam omni auctoritate destitutae pluribus demonstrare opus non est. Sed aliud quoddam habemus testimonium et id longe diversum, e quo mihi quidem multo certius cognosci posse videtur Hilotarum tributum quale et quantum fuerit. Tyrtaeus enim⁶⁷⁾ refert, Messeniis ut dimidium omnium frugum Spartam conferrent imperatum esse; quorum iam tum, confecto primo Messeniaco bello magnam partem non in Perioecorum sed in Hilotarum conditionem redactos esse quanquam planis verbis non testatur Pausanias aperte tamen elucet ex universae eorum conditionis descriptione. Inde a secundo bello Messeniaco Messenios Hilotas fuisse^{67b)} neque a reliquis Hilotis distingui constat, neque quisquam tradit tributum antiquitus eis imperatum unquam mutatum esse. Quamobrem non possum ab animo impetrare ut credam, quum Messeniis dimidium omnium frugum conferendum fuisse certissimo et minime ambiguo Tyrtaei testimonio constet, ceterorum Hilotarum tributum tam diverso modo constitutum fuisse, ut certum aliquem modiorum numerum quotannis conferrent. Sed in universum non quantum frumenti et vini, sed quotam totius proventus partem conferri oporteret, semel statu-

67) Tyrtaeus ap. Paus. IV, 14. 5.

67b) Thuc. I, 101.

tum et ne ea ratio unquam mutaretur lege cautum fuisse existimo⁶⁸⁾.

Tributum illud utrum nimis grave fuerit an tantum ut Hilotis satis larga sui laboris merces et victus satis amplius relinqueretur, non potest certo diiudicari, quum de antiquioribus certe temporibus nullum reperiatur testimonium. Quanquam posteriore aetate non parvam Hilotarum partem satis locupletes fuisse inde apparet, quod Cleomenes III, quum se manumissurum esse pollicitus esset omnes Hilotas, qui in singula capita quinas minas sibi conferrent, quingenta inde talenta collegit⁶⁹⁾. Quod eo maiorem Hilotarum partem non exiguas pecunias habuisse ostendit, quo magis eorum numerus universus Messeniam Spartanorum imperio liberata et Aetolorum incursione qui quinquaginta servorum millia e Laconia abduxisse feruntur⁷⁰⁾ deminutus erat.

Quum in republica Lacedaemoniorum plurima fere ad bellum referrentur et omnia quae ad eius usus pertinerent summa cum diligentia constituta essent, mirum profecto esset, si eo hominum genere, quod ceterorum omnium numerum longe superabat, ad bella omnino non usi essent Spartani. Sed constat Hilotis praeter ea quae modo commemoravimus officia alia quoque quae ad bellum tantum pertinerent iniuncta fuisse. Debebant enim Spartanorum exercitus ad bella proficiscentes comitari, iisque armigerorum officia praestare, saucios tueri, occisorum corpora recuperare et curare⁷¹⁾. Videntur autem solos Spartanos comitati esse, non item Perioecos, quos quidem ullum imperium in Hilotas exercuisse comprobari non potest. Singulos Spartanorum milites veri est simile

68) cf. Niebuhr. l. c. pag. 119.

69) Plut. Cleom. 23.

70) ibid. 18.

71) De quibus Hilotarum officiis optime disputat Mueller. Dor. II, 32. 33.

comites et famulos suos quos vellent ex eis Hilotis qui suos agros colerent elegisse. Sed omnes illos Hilotas quos trigintaquinque millium numero Herodotus Spartanos in proelium Plataeense prosecutos esse refert, eiusmodi singulorum Spartanorum comites fuisse, etsi id ipsum ex Herodoti verbis consequi videtur, probabilitate prorsus caret; tam ingentem enim famulorum numerum, ut eorum septeni singulis militibus essent, impedimento potius quam commodo futurum fuisse in promptu est. Quamobrem recte ut opinor Muellerus maiorem illorum Hilotarum partem non famulorum sed levis armaturae officia praestitisse et ipsius pugnae participes fuisse suspicatus est⁷²⁾. Quos equidem a singulorum militum comitibus et famulis ita distinguendos esse suspicor, ut levem armaturam a magistratibus (seu regibus seu posteriore aetate ab ephoris) convocatam et emissam esse putem.

Hilotarum manumissiones apud Spartanos satis frequentes fuisse videntur, et ni fallor libertas haud infrequens praemium erat officiorum in bellis fideliter praestitorum. Eos certe Hilotas, qui nonnunquam, urgente necessitate et summa hominum inopia, graviter armati in bella proficiscebantur ab expeditionibus reduces semper libertate donatos esse recte ni fallor contendit Muellerus⁷³⁾. Sed mirus est magnus diversorum nominum quibus variae libertinorum classes apud Lacedaemonios distinguebantur numerus, quae singula enumerari et pertractari huius loci non videtur, quum in universum verisimile sit, maiorem eorum partem non ad Lycurgeam rerum Laconicarum constitutionem, sed ad multo posteriorem reipublicae Spartanorum aetatem pertinere. Ceteram non dubito accipere Ephori testimonium⁷⁴⁾, qui Spartanis Hilotas manumittere licuisse negat, quod tamen ita intelligendum est, ut quum

72) Mueller, Dor. II. 32. 33. 73) ibid.

74) Ephorus ap. Strab. VIII, pag. 365.

summum de Hilotis imperium ad rempublicam pertineret, non singuli cives sed aut comitia aut magistratus aliqui manumittendorum Hilotarum ius exercerent, quod quonam modo factum sit accuratius perspicere non possumus.

Lycurgum quod ad subditorum conditionem attinet quidquam alicuius momenti novasse nusquam commemoratur atque ne nominantur quidem Perioeci aut Hilotae a Xenophonte in libello de republica Lacedaemiorum, quo semper de Lycurgea rerum Laconicarum constitutione loquitur, etiamsi eam nonnunquam cum eis confundit, quae postea instituta sunt⁷⁵). Grotius⁷⁶) putat Lacedaemonios Hilotis quidem iam ante Lycurgum imperasse, de qua re omnino dubitari posse negamus, sed Perioecos ab eisdem post Lycurgi demum aetatem in potestatem redactos esse, quam coniecturam probare non possum. Nam etiamsi nonnullas haud ignobiles Achaeorum civitates satis diu post Lycurgum expugnatas esse constat, nihil tamen est, cur hoc de omnibus, quarum magnam partem ne nomine quidem novimus, contendamus. Hermannus⁷⁷) Perioecos magna ex parte causam et materiem praebuisse coniicit seditionum earum, quae ante Lycurgum Spartam agitarunt: reges enim, ut suam potestatem auferrent Dorien- siumque superbiam frangerent id egisse, ut cum illis civitatem communicarent. Sed quanquam in Messenia et fortasse in

75) Quanquam, ni fallor, non sine aliqua probabilitate suspicari quispiam potest, Xenophontem de Perioecorum et Hilotarum conditione consulto tacere. Nam quum ille aperte id ageret, ut quam maximis laudibus civitatem Laconicam exornaret, de subditarum classium conditione et tractatione, quam in Spartanorum laudem verti non posse intelligeret, nihil omnino dicere optimum iudicasse videtur.

76) Grote, hist. of. Gr. vol. II. (paginae numerum afferre non possum, quum non iam ad manus mihi sit liber ille).

77) Hermann, Antt. Lacc. pag. 23. sqq.

aliis quoque Doricis civitatibus eiusmodi aliquid factum esse videtur, nullum tamen habemus testimonium aut vestigium satis certum quo id in Laconia quoque accidisse concludere possimus. E coniectura autem id factum esse eo minus contendere ausim, quum de nullo omnino Lycurgi instituto ad subditorum conditionem pertinente quidquam constet, unde illorum aut nullam aut exiguam certe partem in illis turbis civilibus fuisse, quas Lycurgus pacavit, probabile est.

§ 7.

De subditis hominum generibus in reliquis Doricis civitatibus.

Exposita subditarum classium quae apud Lacedaemonios fuerunt conditione, ut magis etiam eam illustremus pauca nobis dicenda videntur de vestigiis similium institutorum, quae in ceteris Doriensium civitatibus reperiuntur: qua re perspicietur, Doriensium potestati ubique fere subdita fuisse diversa hominum genera, quae nominibus varia re vera haud ita multo inter se discrepasse videbuntur. Sed nova de eis me non multa afferre nemo mirabitur, quum de hac re praeter Muellerum diligentissime et doctissime disputaverit Vir Illustris, praeceptor meus pie colendus, Welckerus⁷⁸⁾.

Et primum quidem apud Cretenses quam similis rebus Laconicis universa ratio inter cives et subditos intercesse-rit, optime perspicitur ex noto illo et pulcherrimo Hybri-ae Cretensis carmine⁷⁹⁾ qui gloriatur et exsultat quod armis et fortitudine sua fretus subditis imperet, et ab iis victum sine ullo suo labore accipiat, quod carmen ita com-

78) Prolegom. ad Theognid. reliquias. p. XXXIV—XXXVIII.

79) Quod servavit Athenaeus. lib. XV, p. 695. 695.

paratum est, ut praeter unum nomen Mnoae quae Cretensium est propria a Spartano aliquo confectum videri possit.

Habebant autem singulae Cretensium civitates oppida Perioecorum, qui ibi Subditi (Τπήκοι) vocabantur⁸⁰). Hoc enim genus accuratissimi rerum Creticarum scriptores cum Perioecis tam distinctis verbis comparant, ut mirum sit, quod recentiorum nonnulli male intellectis vel Dosiadae verbis⁸¹) qui non de Perioecis sed de servis loquitur, vel Aristotelis qui minus accurate omnes Cretensium subditos Perioecos dixisse videtur⁸²), cum servis vel glebae adscriptis commutarunt⁸³). Armorum et gymnasiorum usu eis interdictum fuisse, quae Hoeckii est sententia, mihi persuadere non possum. Nam Aristoteles id de servis tradit⁸⁴) quo nomine si Perioecos quoque Cretensium comprehendere statuimus, multo deteriorem reddemus horum conditionem, quam Perioecorum apud Lacedaemonios fuerat, quos bellorum socios fuisse eamque ob causam gymnasiorum quoque sine dubio participes vidimus. E contrario meliorem potius Hypecoorum quam Perioecorum conditionem nobis fingamus necesse est, quum Cretenses ob id ipsum laudentur, quod clementer eis qui suo imperio essent obnoxii imperabant.

Diversi ab Hypecois erant glebae adscripti, quorum ipsorum duae, quae maxima rerum Cretensium a Laconi-

80) Athen. VI. 263. — de Hypecois cf. Hoeck. Cret. III, p. 23 — 30.

81) Dosiadas ap. Athen. IV, 143.

82) Arist. Polit. II, 7. 3. 4.

83) Maxime miror, quod Grotius, qui Cretensium et Lacedaemoniorum civitates similes esse negat, nullum apud Cretenses ordinem, qui Perioecis Lacedaemoniorum responderet, sed unum tantum subditorum genus, nomine Perioecos, in Creta fuisse contendit, quod prorsus est falsum. Grote, hist. of Greece. Vol. II, pag. 484 ann. 2. —

84) Arist. Polit. II, 6. 2, cf. II, 2. 12.

cis est discrepantia, diversae erant classes⁸⁵). Alterum enim genus, qui *Μνωῖται* dicebantur, vel ἡ *Μνοία*, agros publicos colebat et statutam frugum partem magistratibus qui coenis publicis praeerant tradebat; alterum genus agros privatorum colebat (a quorum nominibus *Κλαρωῖται* vel *Ἀφαμιῶται* dicebantur) suisque dominis statutum aliquod tributum pendebat. His nulla cum republica sed cum dominis tantum ratio intercedebat, quorum arbitrio tamen non prorsus eodem quo servi pretio empti modo erant obnoxii, quum officia dominis praestanda veteribus foederibus, quae mutare nefas erat statuta essent. Nihilominus Hoeckius recte sine dubio contendit, hos glebae adscriptos, (qui *Πάροικοι* quoque vel *Μέτοιχοι* nonnunquam dicebantur) satis superbe tractatos esse, nisi quod veteres quasdam ferias eorum domini non modo tolerarent, sed ipsi etiam quodammodo celebrarent. Praeter haec subditorum indigenarum genera servis quoque (peregrinis sine dubio, nam *Χρυσώνητοι* dicebantur) Cretenses usos esse ideo tantum commemoro, quia inde concludere possumus Cretensium glebae adscriptos servilibus officiis, quae Hilotae dominis suis praestare cogebantur, liberos fuisse.

Aristoteles de Cretensium imperio subditis, (nam Perioecorum nomen ab eo hoc certe loco latiore vi de omnibus subditis usurpatum esse manifestum est), commemorat⁸⁶), eos nunquam defecisse, cuius rei causas has esse putat, quod neque a finitimis populis, propterea quod insulam colebant, neque a ceteris Cretae civitatibus, quippe quae item subditos haberent, qui ne deficerent eis curandum esset, auxilium ullum exspectare possent. Quem locum satis ut opinor planum, mirum in modum ita interpretatur Hoeckius⁸⁷), ut inde quod Cretensium subditi nunquam

85) De his agit Hoeck. I. c. pag. 30 — 40.

86) Aristot. Pol. II, 6. 2.

87) Hoeck, I. c. pag. 25.

defecerint, quod illis propter frequentem mercaturam et navigationem multo facilius fuisse putat, quam Hilotis in Laconica a peregrinorum aditu clausa (bellorum enim, quae Spartani prope continuo cum finitimis suis gesserunt, oblitus esse videtur), effici posse credat, multo tolerabiliorem subditorum apud Cretenses quam Hilotarum fuisse conditionem. Equidem e contrario ita existimo, Cretenses erga subditos eam ob causam mitiores fuisse quam Spartanos, quod illi iugum suum, cuius excutiendi nulla eis esset spes, patienter ferrent, neque defectionibus minorum metum et suspicionem moverent, quam vel maximam causam fuisse pro comperto habeo, qua Spartani ut acerbius in Hilotas saevirent commoti sint. Cretenses autem servos suos, nisi quod gymnasiorum et armorum usu eis interdictum erat, ceterum satis benigne tractasse Aristoteles refert. Ex utroque eius testimonio haud temere conicere mihi videor, Cretensium populos inter se pactos esse, ne servorum auxiliis in bello uti ullis liceret. Quamobrem etsi famulorum et armigerorum loco servos milites Cretenses comitatos esse inde efficitur, quod *ἑργάπων* Creticum vocabulum fuisse dicitur, hos proeliorum nunquam participes fuisse puto.

In Argivorum quoque civitate universum populum in tres classes eadem prorsus ratione, qua in Laconica divisum invenimus⁸⁸⁾. Sed eo maxime Argivorum respublica a Spartanorum differebat, quod ibi non item omnes Achaei optimo civitatis iure carebant, sed pars eorum aequo quantum scimus foedere cum victoribus coniuncta quartam efficeret tribum tribus Doricis tribubus additam. Maior autem pars Achaeorum iniquo foedere cum Doricis icto Perioeci facti sunt. Sed de nonnullis oppidis valde incertum est, quonam tempore in Argivorum ditio- nem venerint. Inter Argivorum Perioecos hae fuerunt ci-

88) Mueller, Dor. I, 175 sqq. II, 52 sq.

vitates: Orneae, a quibus omnes Perioecos, vel partem aliquam eorum Orneatas vocatos esse veri est simile, propter Herodoti locum supra allatum, qui Cynurios Argivorum Perioecos et Orneatas fuisse refert, (quem locum minus bene Grotius interpretari videtur, qui suspicatur Orneas in regione, quae olim Cynuriorum fuisset, sitas esse), deinde Mycenae, quae belli Persici tempore libera et immunis erat civitas, sed tum ad tempus tantum Argivorum iugum excussisse videtur, deleta a Cleomene Spartanorum rege Argivorum exercitu; tum Tiryns Midea Hysiae et alia oppida minoris momenti⁸⁹). Cynurios quoque diu Argivorum Perioecos fuisse Herodotus tradit⁹⁰), quos a primis iam Spartanorum regibus, id quod Pausanias narrat, subiectos esse recte negare videtur Grotius, qui post victoriam ad Thyream a Spartanis reportatam primum eam regionem Lacedaemoniorum ditioni additam esse contendit. Quod Pausanias l. c. narrat, Argivos post bella Persica omnium illorum, quae nominavimus Perioecicorum oppidorum incolis vi Argos abductis et *Συνοίκων* nomine in civitatem receptis opes suas, magna illa clade a Cleomene accepta attritas restituuisse atque contra Lacedaemonios pariter et contra Perioecos confirmasse, non ab omni parte recte se habere videtur. Perioecos enim Argivorum praeter illa ipsa oppida nullos novimus, neque dubium videtur, quin Pausanias nomen illud male usurpaverit de finitimis civitatibus, quae *περικλήονες* vocantur in oraculi responso Argivis tum dato quod legimus apud Herodotum⁹¹). De Perioecorum Argivorum conditione prope nihil scimus, nisi hoc Argivis multa bella gerenda fuisse, ut Perioecos deficientes suo imperio iterum obstringerent. A Perioecorum oppidis accurate distinguendae sunt Argivorum coloniae Epidaurus Corinthus Sicyon Hermione et (ut Muelleri

89) Paus. VIII, 27. 1.

90) Herod. VIII, 73.

91) Herod. VII, 148.

emendationem⁹²⁾ veri simillimam accipiamus,) Cleonae, cum Aegina Epidaurensium, Phliunte Sicyoniorum, Megara Corinthiorum coloniis, quae omnes liberae et immunes erant civitates, sed foedere quodam coniunctae antiquissimo, de quo nobis perpauca nota esse dolendum est. Videntur autem Argivi de his civitatibus principatum plerumque postulasse sibi vindicasse magis quam exercuisse, nisi quod Phidonem, Argivorum regem, eas aut omnes aut plerasque in potestatem redegissee verisimile est, de cuius rebus gestis post Muellerum egregie disputat Grotius⁹³⁾.

Servos quoque indigenas seu glebae adscriptos Argivis fuisse constat, qui inde quod leviter armati Argivorum exercitus in bella sequebantur Gymnesii dicebantur. Universa eorum conditio, quanquam de ea nihil accuratius traditum est, ab Hilotis, cum quibus comparantur⁹⁴⁾, non nimis discrepasse videtur. Servi quos Herodotus post ingentem illam Argivorum cladem rerum potitos esse tradit sine dubio (id quod recte Muellerus contendit) hi Gymnesii fuerunt.

In iis, quas enumeravimus Doricis civitatibus, quae aut ab Argivis aut ab Argivorum colonis conditi erant, subditos fuisse satis constat, quanquam testimonia de eis ita comparata sunt, ut eorum conditio accurate definiri non possit. Sic illud genus hominum in Epidaurensium civitate, qui *Κοιτίποδες* a vita rustica vocabantur, certo discerni non potest, utrum glebae adscripti fuerint an Perioeci an cives inferioris ordinis. Nam postrema quoque sententia aliqua ex parte probari posse videtur eo, quod ibi quartam aliquam tribum, Hyrnathiam, indigenis sine dubio et maiore ex parte agricolis constantem, Doriensium tribubus

92) Mueller, Dor. I, 83. annot. I.

93) Praeter hos conferendus est Weissenborn. („Pheidon von Argos“ in libro qui inscribitur „Hellen“).

94) Pollux l. c.

95) Cf. pag. 73.

additam esse constat⁹⁵⁾. Eodem modo de *Κυροφάλοις* Corinthiorum, *Κατωανακοφόροις* et *Κορυνηφόροις* Sicyoniorum et Megarensium subditis, utrum magis ad Perioecorum an ad Hilotarum conditionem pertinuerint, propter testimoniorum exiguitatem certo demonstrari non potest. Apud Messenios quum Cresphontes frustra suaque cum pernicie civitatem cum indigenis communicare tentasset, Dorienses Stenyclarum totius regionis caput fecerunt et indigenas civitate privatos Perioecorum ut videtur loco habuerunt. Servos quoque, i. e. glebae adscriptos Messeniis fuisse constat, ut non multum illius civitatis constitutio discrepasse videatur a Laconica.

§ 8.

De Spartanorum tribubus et curiis.

Pertractatis eis hominum generibus quae civitatis expertia imperio Spartanorum obnoxia erant, ad ipsorum civium conditionem explicandam transeamus et hic quidem inprimis de civium divisionibus agemus. De quibus quum non pauca nondum satis explicata videantur paulo copiosius nobis agendum erit, et primum quidem de singulis divisionibus, deinde de ratione quae inter eas intercedebat dicemus. Tres autem reperimus diversas rationes secundum quas Spartani dividebantur, primum quod genus et stirpem attinet in tribus et curias, deinde locorum ratione habita in vicos, tum iuris discrimine facto in ordines sive classes.

De Spartanorum tribubus non est mirum diversissimas a recentioribus prolatas esse sententias, quum veterum testimonia pleraque obscura et erroribus variis impedita inter se magnopere discrepent. Ita factum est, ut is

⁹⁵⁾ Cf. pag. 73.

qui primus magna cum industria de Lacedaemoniorum republica egit, Cragius, sex tribus enumeraret, diversissima nomina diversis e testimoniis petita miscens: Heraclidas, Aegidas, Pitannatas, Mesoatas, Limnatas et Cynosurios. Quibus Meursius Pamphylos et Dymanenses addit, quos Manso non tribus sed gentes tantum fuisse contendit, Heraclidarum tribum defendens contra Barthesium, quod nil nisi gentem eos fuisse e Plutarchi verbis concluderat. — Tittmannus denique quinque tribus fuisse putat, quarum unam non Aegidas sed, mirabile dictu, tribum Agidem vocat.

Quibus tenebris lucem attulit praeclara Muelleri doctrina et sagacitas, qui⁹⁶⁾ collatis testimoniis de omnium Doricarum civitatum tribus, luculenter demonstravit tripartitos antiquitus fuisse Dorienses, et tres veteres tribus Hyllenses Dymanenses Pamphylos in omnibus Doriensium civitatibus fuisse. Quas Sparta quoque existisse, quam nullus veterum locus reperitur, qui coniuncta illa nomina exhibet, nonnullis locis diversis inter se comparatis efficitur⁹⁷⁾. Non enim potest mero casu fortuito factum esse quod tribus in locis, etsi nomina discrepantia, nonnullaque aperte falsa praebeant, tres tamen in omnibus pariter tribus Spartanorum enumerantur. Quae Muelleri argumentatio de tribus Doricis tribus tam docta tamque valida mihi videtur, ut non possim non mirari, eorum qui post illum scripserunt nonnullos etiam nunc aliter sentire. Quod Cortuemius⁹⁸⁾ secundam tribum pro Dymanensibus

96) Mueller, Dor. II. 70.

97) Hesych. s. v. *Δύμη*, Etymol. Magn. pag. 758, Schol. ad Aristoph. Plut. 382. quos locos affert Cortuemius in dissertatione inscripta, „Wesen und Schicksal der dorisch-lakonischen Ackergesetzgebung“ in vol. IV, Schlosser's und Bercht's Archiv f. Geschichte u. Literatur. pag. 133 — 180.

98) l. c. pag. 141 sqq.

99) Exc. I. ad Aristot. Polit.

Dorienses vocat, comparatis ceterarum Doricarum civitatum divisionibus plane perspicitur, illum nimio suo acumine, quo ipsorum nominum vim et originem indagare conatur in magnum errorem inductum esse. Multo autem gravius peccavit Goettlingius⁹⁹⁾, qui disputatione levissima et ratiunculis quibusdam persuadere nobis studet, decem tribus Spartanorum fuisse, quarum tamen nomina enumerare ne tentavit quidem¹⁰⁰⁾. Sed Grotium, virum doctissimum et plerumque prudentissimum miror Muelleri refellendi studio eo usque abreptum esse, ut diceret eum nullis argumentis, sed e praeiudicatis opinionibus tres tantum Spartanorum esse tribus contendisse; quot enim fuerint, omnino effici non posse; quum tamen in Spartanorum republica ternarius numerus tantum non ubique regnet, neque ullam tribum gentiliciam (si hoc verbum usurpare licet pro (*Geschlechterstamm*)) praeter illas Doricas Spartaefuisse probari possit. Quod enim Herodotus¹⁰¹⁾ Aegidas „magnam tribum“ vocat, minus accurate dictum videtur. Possumus autem aut cum Boeckhio¹⁰²⁾ suspicari, eum Aegidas, sive curia sive gens essent, false tribum vocasse, aut cum Lachmanno¹⁰³⁾ eum totam illam tribum, cuius Aegidae quasi principes essent, (quam Pamphyliorum tribum fuisse iusto magis ut solet acumine suo confisus contendit Lachmannus) illius gentis nomine comprehendisse.

Quod Tittmannus¹⁰⁴⁾ divisionis illius originem non veris inter diversas tribus discriminibus nixam, sed a legis-

100) Decem enim apud Cretenses quotannis fuisse cosmos, decem in universum apud Spartanos ephoros (quinque maiores et totidem minores), decem aliquando Spartanorum millia: unde confidentissime concludit, tribus quoque decem fuisse.

101) Herod. IV. 149.

102) Boeckh, C. I. vol. I. pag. 609.

103) Lachmann, l. c. pag. 144.

104) Tittmann, Darst. d. griech. Staatsvfgn. pag. 583 (quamquam ibi dubitanter illam sententiam profert, confidenter eam repetit pag. 634).

litoris arbitrium effictam videri, propter rhetrae Lycurgae verba φυλάς φυλάξαντα contendit, prorsus est reiiciendum. Inde enim, quod Hyllenses, Dymanenses, Pamphyli non Spartaë solum, sed in omnibus Doricis civitatibus, de quarum tribubus aliquid notum est, reperiuntur, certissime consequitur, eam divisionem non Spartanorum propriam sed universae Doriensium nationis communem atque Heraclidarum reditu, quo factum est ut unus populus in complures civitates dissiparetur, antiquiorem fuisse; nam nisi tum iam exstisset, quomodo in omnibus illis civitatibus ab illo inde tempore prorsus disiunctis pariter oriri potuerit non intelligitur. — Lachmannus¹⁰⁵⁾ non tres, sed duas tantum tribus, Hyllenses et Dymanenses in Laconicam immigrasse, eaque occupata tertiam, Pamphylos, civibus novitiis compositam (Νεοδαμώδεις), illis additam esse. Quae coniectura eo quod Pamphyliorum quoque tribus non Spartanorum propria sed Doriensium communis erat¹⁰⁶⁾, satis refutatur, neque ullo argumento nititur praeter audacissimam unius testimonii per se incertissimi interpretationem. Quod enim Isocrates dicit¹⁰⁷⁾ Spartanorum post occupatam Laconiam principio duo millia fuisse, ita accipit Lachmannus, quasi ille de duabus millenorum capitum tribubus plane loqueretur. Sed ut verba illa ita intelligi posse largiamur, Isocratis quam nulla sit de rebus Laconicis auctoritas, nisi testimonio eius alia accedant, satis, ni fallor, supra demonstravimus¹⁰⁸⁾. Quod quum ad hunc locum iam Muellerus¹⁰⁹⁾ breviter sed aperte significaverit, magnae erat levitatis uno illo Isocratis loco, qui neque testimoniis neque argumentis ullis aliunde petitis.

105) Lachmann, pag. 132. cf. 103.

106) Testimonia videas ap. Muell. Dor. II, 71.

107) Isocr. Panathen. 100. § 255.

108) Cf. pag. 40. annot.

109) Muell. Dor. I, 77. annot. 2.

confirmari potest ad coniecturam de re tam gravi et difficili probandam contentum esse. Quod Lachmannus¹¹⁰⁾ tertiam illam quam sibi fingit ad duas priores novam accessisse tribum maiore ex parte Minyis constituisse putat, praeter ea de quibus diximus argumenta eam quoque ob causam reiiciendum est, quod Herodotus, qui solus de Minyis in Laconica commorantibus refert, illos per tribus distributos esse planis verbis dicit¹¹¹⁾, a quo testimonio qui discedet nullum suarum opinionum fundamentum invenire poterit.

Non magis alia quaedam Lachmanni coniectura, illi quam modo reprobavimus mirum in modum contraria, Pamphyliorum tribum mixtam quandam diversis nationibus multitudinem fuisse, (unde nomen eorum derivat) quae paulo ante Heraclidarum reditum se Doriensibus tum bipartitis adiunxerit¹¹²⁾ comprobari potest. Tale enim foedus non intelligo quomodo factum esset, ut etiam reportata victoria tam firmum maneret, quum Aetolos, qui isto modo Doriensibus ad occupandam Peloponnesum se adiunxisse feruntur, statim post victoriam Elidis imperio sibi vindicato a Doriensibus separatos esse constet. E contrario trium Doricarum tribuum nexum tam firmum et stabilem invenimus, ut antiquissimam aliquam necessitudinem inter eas intercessisse appareat.

In universum quidem hoc mihi certo constare videtur, trium Doricarum tribuum originem non a divisione aliqua quamvis antiquo tempore a rege vel legislatore nescio quo facta, sed a coniunctione trium diversarum nationum, quae sensim in unum populum coaluerint, repetendam esse. (Eadem ratione tres antiquas Romanorum tribus explicandas esse nunc iam satis ut opinor inter omnes constat.)

110) Lachm. pag. 103.

111) Herod. IV. 145 ἐς φύλας διεδάσαντο.

112) Lachm. pag. 94.

Sed quum illas nationes iam diu ante Heraclidarum reditum coaluisse necesse sit, quippe quarum communio, nisi tum vetustate iam confirmata fuisset, tam violentis motibus resistere aegre potuisset, consequitur de ratione loco tempore quo id factum sit in tam remotae et prorsus fabulosae antiquitatis tenebris nihil certi discerni posse¹¹³).

Tres illas veteres tribus in omnibus Doriensium civitatibus fuisse, plurimis veterum scriptorum locis et inscriptionibus diligentissime undique collectis nixus (quibus testimoniis alicuius momenti addere possum) suo iure contendit Muellerus. Sed nonnullarum civitatum divisio a Spartanorum constitutione magnopere differebat eo, quod non pauci tantum seu veteres incolae sive peregrini in civitatem recepti per Doricas tribus distributi sunt (id quod Spartae factum esse et numerus ternarius quem in magistratum collegiis quasi regnare videbimus ut credamus suadet, et de Minyis certe haud ambiguum Herodoti testimonium confirmat) sed tribuum numerus auctus est. — Ita Argis praeter tres Doricas tribus quartam reperimus Hyrnathiam¹¹⁴), quam Achaeorum, veterum illius regionis dominorum partem eam comprehendisse veri simile est, quae Doriensium partes primum amplexa illis auxilio fuit ad subigendos ceteros, qui vi in potestatem redacti foederè iniquo cum Doriensibus icto, Perioeci facti sunt¹¹⁵).

113) De qua re multa disputarunt et suspicati sunt Muellerus, Dor. I, 18 sqq. et Lachmannus pag. 71 sqq. — Nos assentimur Schoemanno (de eccl. Laced. II) et Herrmanno (Antt. Lacc.).

114) Muell. Dor. II, 72, qui praeter inscriptiones (Boeckh. C. I. nr. 1130, 1131) luculentum affert testimonium Stephani Byzantii s. v. *Δυμῶν φύλον Δωριέων ἦσαν δὲ τρεῖς Ἰλλεῖς καὶ Πάμφυλοι καὶ Δυμῶνες, ἐξ Ἡρακλέους, καὶ προσετέθη ἡ Ἰωνηθία, ὡς Ἐφορος α΄.*

115) Proclivis est coniectura, Hyrnathiam tribum additam esse, quum post bella Persica Perioeci ut vidimus in civitatem

Quae quarta tribus Epidauri quoque, ubi item Hyrnathia, Sicyone, ubi Aegialensium tribus et Phliunti ubi ex ingeniosa et probabili Muelleri coniectura¹¹⁶⁾ Chthonophyle vocabatur, veteres incolas comprehendisse putanda est, nullo ab Argivorum rebus discrimine, nisi quod in illis civitatibus, quarum fines haud ita late patebant, Perioecos ullos fuisse demonstrari non potest, ut omnes qui ante Doriensium invasionem cives optimo iure fuissent, in quartam tribum, Doriensibus addendam, relatos esse putem.

Quod eo magis est verisimile, quod in illis civitatibus si Pausaniam auctorem sequimur Dorienses non vi rerum potiti, sed foedere cum indigenis icto et nova agrorum distributione facta recepti sunt¹¹⁷⁾. Potest alicui mirum videri, quod Dorienses, qui populus non valde numerosus fuisse videantur, illas autem civitates sine dubio satis exiguis copiis occupaverint¹¹⁸⁾, quum ipsorum tres essent tribus, veteres incolas, quos multo plures quam illos fuisse verisimile est, in unam tribum omnes cogebant. Quod mihi quidem non sine consilio aliquo fecisse videntur. Suspicio enim, Dorienses, qui licet armis non esset decertatum victores tamen se putarent, praecipuum aliquatenus ius sibi

reciperentur. Sed id ne credamus variae rationes obstant. Nam unde explicari posset, quod Hyrnathia tribus Epidauri quoque reperitur, nisi Argis iam ante conditam ab Argivis Epidaurum fuisset. — Deinde quum Sicyone et Phliunte (et Corinthi, ni fallor) quarta illa tribus fuerit, haud temere suspicamur, eam in omnibus Argivorum coloniis fuisse. Denique Ephorus Hyrnathium tribum in primo libro commemoraverat, quo eum eas res, quae haud ita multo post Heraclidarum reditum in Peloponneso factae sunt, enarrasse constat. (cf. Marx. Ephori fragmenta.)

116) Mueller. Dor. II, 54. annot. 6.

117) Haec vel similia narrat Pausanias de Corintho, II, 4. 3; de Sicyone, II, 6. 7; de Phliunte, II, 13. 1; de Epidaura, II, 26. 1; de Aegina, II, 2. 9. 5; de Troezena, II, 30. 10.

118) Mueller, Dor. I, 77.

vindicantes, veteribus incolis speciem tantum aequi foederis concessisse, re vera autem ius eorum quam arctissimis finibus circumscripsisse, universa eorum multitudine in unam tribum coacta, qua re, dummodo non viritim sed tributim in comitiis suffragia ferrentur (de qua quidem re, quomodo in illis civitatibus se habuerit, quantum scio, certi nihil constat, quanquam Sparta non tributim sed promiscue ab omnibus civibus suffragia lata esse videntur,) cavebatur, ne unquam in comitiis veterum incolarum multitudo aut tantundem aut plus valeret, quam exiguus Doriensium numerus. (Simili ratione Romani, quum sociis civitatem donare cogerentur, paucas tantum tribus eis concessisse, notissima est res.)

Corinthetae autem octo tribus fuisse traduntur¹¹⁹⁾ ubi aliquando tres illas Doricas tribus exstitisse nihil est cur in dubium vocemus, et certo consequi videtur inde quod in inscriptionibus Megarae et Corcyrae, quae Corinthiorum erant coloniae, repertis Hyllensium et Pamphyliorum tribus commemorantur, quae nisi Corinthi fuissent unde in illas Corinthiorum colonias pervenissent, non intelligo. Corinthi autem tribus veteribus Doriensium tribubus quinque novas veterum eius regionis incolarum additas esse, exiguam habet probabilitatem, quum nimis discrepet a finitimarum et cognatarum ut ita dicam Doricarum civitatum institutis, et conciliari non potest cum eo quod Pausanias narrat plebem vel veteres incolas a Doriensibus devictos et ita in potestatem redactos esse (nam quod dicit ἐξέπεσε, „finibus expulsi sunt“ accurate dictum non videtur). Quamobrem octo Corinthiorum tribus aliquando successisse conicio in locum antiquioris divisionis eiusdem quem in finitimis civitatibus

119) Mueller, Dor, II, 54. 72. Suid. s. v. πάντα ὀκτώ, ubi Corinthiorum in octo tribus distributio ab Aleta repetitur, qui primus Doriensium Corinthum occupasse dicitur, quod testimonium magnis dubitationibus obnoxium est.

omnibus reperimus: quattuor tribus dico quarum singulas aliquando in binas divisas esse puto. Quam mutationem post Corcyram a Corinthiis conditam factam esse veri et simile.

In Messenia tribuum numerum auctum esse non puto, quum Cresphontis consilio, qui civitatem cum indigenis communicare statuerat, Doriensium invidia frustrato, illi sibi solis civitatem vindicasse dicuntur. De Cretensium tribubus e veterum testimoniis nihil omnino constat, sed e ratione quae Doriensibus illic cum Perioecis suis intercedebat, magnaue similitudine quae illorum civitati cum rerum Laconicarum constitutione est, veri videtur simile, nullas ibi praeter tres Doricas fuisse tribus.

Tribubus veteribus sive gentiliciis subiungendae sunt curiae, quae ὠβαί dicebantur. Quas triginta fuisse numero, etiamsi certo quo id demonstratur testimonio careamus¹²⁰), veri certe est simile, et haud scio an ullus alius curiarum numerus reperi possit, qui tribuum, senatorum, equitum Laconicorum numeris de quibus dubitari non potest, satis conveniat. Quodsi triginta in universum curias fuisse statuimus, singulas tribus in denas curias divisas fuisse consentaneum est. Quod Boeckh¹²¹) contendit singulis curiis nomina fuisse quae patronymica dicuntur, per se satis est probabile, sed nequaquam tam certum, ut confidenter affirmare audeam rem ita se habuisse. Nullius enim curiae nomen nobis traditur, quum Eurypontidas Agiadas Aegidas non gentes tantum sed curias fuisse certo demonstrari nullo modo possit. Quod ad curiarum originem attinet, aliter de eis quam de tribubus statuendum videtur. Nam quod illas a legislatore aliquo institutas esse negamus, et suo quodam

120) Nam num numerum *τριάκοντα* in rhetra Lycurgea ad ὠβας cum Muellero (Dor. II. annot. 2) referre liceat, valde dubium est.

121) Boeckh. Corp. Inscr. Vol. I pag. 609.

modo sponte ortas esse putamus, ne ad curias quoque referamus, duae obstant rationes. Singulas enim tribus priusquam in unum populum coalescerent iam pariter in decem curias divisas fuisse, cogitari aegre potest; atque quum in ceteris Doricis civitatibus eius divisionis nullum reperitur vestigium, Spartanorum reipublicae propriae fuisse videntur curiae illae quae ὠβαί dicebantur. Ibi autem Lycurgum demum eas instituisse aut ad certum numerum redigisse aliquam certe habet probilitatem propterea quod in rhetra Lycurgea commemorantur, neque ullum reperitur vestigium quo eas iam ante Lycurgum fuisse appareat

§. 9.

De Spartanorum vicis sive tribubus localibus.

Sed praeter hanc in tribus et curias gentilicias divisionem alia quaedam secundum regiones Spartae exstabat, quam etsi per se ad Lycurgeam rerum Laconicarum constitutionem illustrandam non multum conferre videtur, prorsus omittere non possumus ne manca sit nostra de veteribus tribubus et curiis disputatio. Nam in inscriptionibus Laconicis, quas e Fourmonti schedis in primo Corporis Inscriptionum Graecarum volumine edidit Boeckhius, quarum pleraeque Romanorum imperatorum temporibus incisae sunt, veteres Doricae tribus nusquam apparent, sed quatuor aliae, quarum nomina sunt Πετανάται, Λιμναεῖς, Μεσοάται, Κυνουργεῖς: et easdem, etsi nominibus nonnullis paullo aliter scriptis, Pausanias (III, 16. 9) tamquam Spartanorum partes commemorat, quibus accedit Strabonis testimonium, Mesoam et Limnaeum non Laconicae sed Spartae partes esse ¹²²). Praeterea singula nomina afferuntur in glossariis antiquis modo addita explicatione φυλή, modo κώμη, vel

122) Str. VIII. 364. Μεσόαν δ' οὐ τῆς χώρας εἶναι μέρος, τῆς Σπάρτης δέ, καθάπερ καὶ τὸ Λιμναῖον.

χωρίων vel τόπος, unde satis certo apparet, localem illam fuisse divisionem.

Quam tamen non ad universam Laconicam pertinuisse certum est. Nam si quis cogitat de illa Laconicae in sex regiones divisione, quam, etsi a primis Spartanorum regibus facta esse non potest, aliquando tamen existitisse Ephoro credimus, nomina illarum regionum quae in loco misere lacerato sagacissime, ut diximus, restituit Muellerus, prorsus diversa sunt a vicorum illorum nominibus. (Vicos enim — κώμας — has partes cum Muellero et Lachmanno vocandas esse censeo, etiamsi non certum sit hoc verum earum nomen fuisse.) Neque poterat imperatorum Romanorum aetate tota Laconia in regiones nonnullas divisa esse, quum pleraque oppida quae antea Perioecorum fuerant iamdudum a Romanis imperio Spartanorum liberata essent suisque legibus viverent. Quo accedit de Mesoa et Limnaeo Strabonis locus, qui plane dicit has non Laconicae sed urbis partes fuisse. Sed ne reliquae quidem Laconiae regiones erant, id quod Cortuemius statuit. Is enim¹²³⁾ tribum sive vicum Cynourensiem vel Cynosurensium falsissime confundit cum Cynuria, regione in Argivorum et Lacedaemoniorum confiniis sita; Pitana ubi sita fuerit non constare dicit, quum e Pausaniae verbis¹²⁴⁾ apertum sit, partem aliquam ipsius Spartae ad hunc vicum pertinuisse; deinde addit Tittmannianam illam tribum Agidem, quam cum Aegidis et Agiadis confundit ei ad Taygetum nulla prorsus ratione refert. Quibus non contentus¹²⁵⁾ Dymam quoque et Limnaeum Mesoamque, quas antea urbanas tribus fuisse concesserat, item regionum quarundam Laconiae nomina fuisse suspicatur. Quos immanes errores libenter tacuissem potius quam exagitassem, nisi severissimam cen-

¹²³⁾ Kortüm, I, c. pag. 151.

¹²⁴⁾ Paus. III, 14, 2.

¹²⁵⁾ Kortüm, I, c. pag. 171.

suram abunde mereri visus esset Cortuemius propterea quod tam incredibilia protulit, quum iamdudum de iis rebus praeclare egisset Muellerus, in quem ille acerbissime et iniustissime invehi solet. Satis aperte Pausanias dicit¹²⁶⁾ Limnates et Cynosurenses atque Pitannatas et Mesoatas Spartanorum partes fuisse, qui quum unam tantum tenerent urbem, Spartam, certo apparet, illos non praeter ipsam Spartam quaerendos esse, cuius „vicos“ (κώμας) Pitannam Mesoam Limnaeum et Cynosuram fuisse rectissime contendit Muellerus.

Sed quum nusquam tradatur vicorum numerus, et numerus quaternarius quem efficiunt ei qui singuli nominantur vici a Spartanorum republica alienus fuisse videatur, atque Pausaniae verba aperte prodere videantur, non omnes Spartanos quattuor quos enumerat, vicis comprehendendi, quaerendum est, in quotnam vicos universa Sparta divisa fuerit. Quam quaestionem dirimit verisimillima Muellieri¹²⁵⁾ coniectura a Boeckhio Lachmanno aliis probata quinque in universum fuisse vicos. Qui numerus probabilis est quam maxime, propterea quod in nonnullis magistratuum collegiis, ut mox videbimus, numerus quinarius apparet, qui a veteribus tribubus derivari nullo modo potest: atque insigniter confirmatur loco quodam Hesychii, (καρνεάται κεκληρωμένοι ἐπὶ τὴν τοῦ καρνείου λειτουργίαν· πέντε δὲ ἀφ' ἐκάστης φυλῆς.)¹²⁸⁾. Potest aliquis putare quintum vicum reperiri apud Pausaniam (III, 14. 2) in verbis: καλεῖται δ' ἐν τῇ Σπάρτῃ Θεομηλίδα χωρίον. Sed quum in regione cui no-

126) Paus, III. 16. 9 . . ., οἱ Λιμνάται Σπαρτιατῶν καὶ Κυνουσορεῖς, καὶ ἐκ Μεσῶας δὲ καὶ Πιτάνης . . .

127) Quod etsi nusquam, quantum scio, aperte pronuntiavit Muellerus, sensisse tamen eum et voluisse persuasum habeo, collatis locis Dor. II, 46 et II, 112.

128) Quem locum ad locales tribus referendum esse sine dubio recte contendit qui eum attulit Cortuemius. l. c. pag. 151 annot. 35.

men erat Theomelida Crotanorum lesche esset, partis Pitānatarum, eam regionem partem tantum vici Pitanae fuisse apparet et prorsus idem valet de vicino loca Ἀγιάδαι vel ἐν Ἀγιάδων. — Boeckhii Dymam, quam Hesychius verbis ἐν Σπάρτῃ φυλὴ καὶ τόπος explicat quintum vicum fuisse et a Dymanensium tribu discernendam esse censet¹²⁹). Sed equidem probabiliorem puto Muelleri explicationem, quatuor illos vicos circa urbem proprie sic dictam¹³⁰) sitos partes fuisse sive regiones urbis quae latiore sensu dicebatur. Urbem igitur ipsam sive arcem quintam tribum fuisse existimo. Quam sententiam Lachmannus sequitur, nisi quod quintum vicum, quem Muellerus πόλιν, ille Spartam fuisse suspicatur, id quod certo diiudicare non potest¹³¹).

Vicos illos Herodoti certe tempore iam exstitisse inde elucet, quod hic et Pitanas commemorat et Pitanam quam δῆμιον vocat¹³²). Sed quod Hermannus¹³³) rhetrae Lycurgeta verba φυλὰς φυλάξαντα ad vicos ita refert, ut eam divisionem Lycurgo attribuat auctori, probari nullo modo potest. Lycurgi enim temporibus, quum veteres tribus sine dubio etiam tum vigerent (quae Megarae Argis Coreyrae Romanorum imperatorum aetate etiam tum exstiterunt) nova divisio prorsus ab illa diversa eodem nomine vocari non poterat, neque ullum reperi testimonium de ullo Lycurgi instituto ad vicos pertinente, nam quae de eis Lachmannus refert, nil sunt nisi merae coniecturae, nullo omnino fundamento nitentes praeter singularem confidentiam qua ille de rebus obscurissimis ita loqui solet, quasi perspicua

129) Boeckh, C. J. vol. 1, pag. 609, cui assentitur Schoemann. Antt. pag. 115 annot. 8

130) Eo sensu πόλιν usurpat Xenoph. Hellen. VII, 5, 11; ἐπεὶ δὲ ἐγένετο Ἐπαμινώνδας ἐν τῇ πόλει τῶν Σπαρτιατῶν... οὐκ ἀνέβαινε εἰς τὴν πόλιν.

131) Lachm. pag. 124.

132) Herod. IX, 53. III, 55.

133) Hermann, Antt. Laec. pag. 46. annot. 144.

sibi et plana omnia essent. — Vicos iam ante Lycurgum fuisse testimonio Pausaniae confirmatur, quamobrem equidem quum de origine eorum nihil omnino constet eos inde a Laconica a Spartanis occupata exstitisse non dubito. Ephori enim (quos, etsi post Lycurgum demum magnam potestatem adepti sunt, iam antiquissimo tempore Spartaefuisse suo loco probare studebimus) quini quotannis creabantur, qui numerus haud obscure indicat eos singulos e singulis vicis creatos esse, unde vicorum divisionem item antiquissimam fuisse probabile fit. Id quod magis etiam confirmatur eo quod in una saltem ceterarum Doricarum civitatum, Megaris, similem divisionem in quinque vicos vel pagos fuisse scimus¹³³) (quorum quod unus — Κυροσουρεῖς — idem quod unus eorum qui Spartaefuerant, vicorum nomen refert, quum cetera nomina omnia prorsus diversa sint, fortuito casui tribuendum puto). Quam divisionem nostro iure cum Spartanorum vicis potius, quam cum quinibus Laconiae aut Messeniae regionibus comparamus, propterea quod Megarenses Perioecorum oppida habuisse neque demonstrari potest neque in ditione tam angustis finibus circumscripta, per se probabile est.

De ea quaestione quando et quomodo factum sit, ut vici tribus vocarentur et de curiis quas fuisse suspicamur localibus paulo post dicemus.

§ 10.

De Spartanorum classibus sive ordinibus.

Restat tertia civium Spartanorum divisio in diversas classes vel ordines diverso iure praeditos, qui utrum vel

134) Plut. Quaest. Graecae 17. τὸ παλαιὸν ἡ Μεγὰρς κατὰ κώμας ᾤκειτο, εἰς πέντε μέρη νενεμημένων τῶν πολιτῶν. ἐκαλοῦντο δὲ Ἡραεῖς καὶ Πιραεῖς καὶ Μεγάρεις καὶ Κυροσουρεῖς καὶ Τριποδίσκαϊοι.

ab initiis reipublicae Lacedaemoniorum fuerint, vel a Lycurgo instituti sint, an ad rerum Laconicarum constitutionem Lycurgeam omnino non pertineant, quaestio satis magni momenti nec facilis diiudicatu est. Et Muellerus¹³⁵⁾ quidem antiquitus diversos ordines Spartanorum fuisse negat, neque quidquam concedit nisi hoc, quod in dubium vocari vix potest, eas familias, quae ab Heraclidis genus ducerent, vel fortasse etiam totam Hyllensium tribum, maiore quadam auctoritate et nobilitate, nullis tamen praecipuis iuribus aut privilegiis a reliquis civibus distinctas fuisse. Hermannus quoque et Schoemannus¹³⁶⁾ aequalitatem iuris inter omnes Spartanos olim exstitisse contendunt, sed ita ut argumentatio eorum magna ex parte nitatur in aequali agrorum distributione, quam vel inde a Laconiae occupatione vel a Lycurgo factam esse credunt. Quam quum nos nunquam re vera exstitisse credamus (quam sententiam infra paulo accuratius exponemus), alia argumenta nobis quaerenda sunt, quibus aequalem iuris inter omnes Spartanos, distributionem quam nos quoque Lycurgi etiam tum aetate fuisse persuasum habemus, contra Cortuemium et Lachmannum defendamus. — Et Cortuemius¹³⁷⁾ quidem trium tribuum et originem et conditionem diversam fuisse putat: Hyllenses enim comitatum fuisse regium, ex Achaeorum et Doriensium principibus mixtum, reliquis civibus et nobilitate et divitiis, quum reges eis praemiorum loco latifundia attribuissent, longe praestantem; Dorienses, ita enim secundam tribum vocat, exercitum Doriensem, nobilitatem quandam inferiorem fuisse; Pamphylos denique agricolas stipendiarios, partim Achaeos, partim peregrinos, civitatis parte aliqua donatos. Quae

135) Mueller, Dor. II, 78.

136) Hermann, Antt. Lacc. pag. 117. Schoemann, Antt. i. p. Gr. 116.

137) Kortüm, l. c. pag. 143 — 150.

ut vera disputaverit, hoc tamen non posset probari, quod terminis ut ita dicam technicis nominibusque propriis e Germanorum antiquitate (*Gefolge, Heerbann, Allodialgüter, Lehen* et quae sunt similia) ad res Spartanæ translatis, fallacem quandam maioris similitudinis, quam quae inter populos et temporibus et locis tam longe discretis intercedere potest, speciem effinxit, quasi discrimina inter utriusque res et conditionem omnino nulla aut levia fuissent. Sed ne vera quidem est ista similitudo: nullis enim veterum scriptorum testimoniis, e quibus solis nobis petenda sunt, quae de rebus Laconicis statuamus, Cortuemii de diversis ordinibus civium, qui inde a reipublicae initiis Spartæ fuerint, placita nituntur, nisi paucis quibusdam, iisque ut haud immerito Hermannus¹³⁸), qui disputationis illius magnam partem satis refutasse videtur, ei exprobrat, ad praeiudicatas opiniones explicatis. — Sed plura etiam falsa protulit Lachmannus, qui et inter tres tribus aequalitatem iuris fuisse negat, (ab initio enim principatum et potestatem omnem penes Hyllenses solos fuisse, his Dymanenses haud ita multo post se adiunxisse, Pamphyliorum conditionem semper inferiorem fuisse¹³⁹) et in singulis tribubus millenis veteribus familiis duplicem numerum Neodamodum (civium noviciorum) ex Hilotis libertate donatis additum esse, hosque plebem, illos nobilitatem fuisse¹⁴⁰). Cetera quae de seditionibus inde ortis et a Lycurgo nescio quomodo compositis singulatim enarrat¹⁴¹) copiosius recensere non opus habeo. Nam diu dubius haesi neque reperi, unde vir ingeniosus tam accuratam aetatis remotissimae de qua perpauca testimonia satis certa supersunt hauserit: nam in eis, quos

138) Hermann, Antt. Lacc. pag. 164—175.

139) Lachmann, pag. 109.

140) Lachmann, pag. 133.

141) id pag. 151 sqq.

Lachmannus passim affert, veterum scriptorum locis, saepissime id reperire non poteram, quod ille eis comprobaturus erat, neque raro vix intelligebam, quomodo quae ille testimonia putabat cum sententiis eius cohaerent. Quibus dubitationibus tandem aliquando liberatus sum, quum Schoemanni diligentissimam de ecclesiis Lacedaemoniorum disputationem legissem. Qui acute et verissime ostendit Lachmannianam reipublicae Laconicae constitutionem quasi exemplum esse antiquae Romanorum civitatis, qualem Niebuhrius illam descripsit. Id quod perspectu haud ita facile erat, propterea quod Lachmannus neque nomina Romana ad res Laconicas transtulit, neque utramque rempublicam inter se nisi obiter et ita comparat, ut discrimina potius, quae inter utramque fuisse statuit, quam similitudines ostendat¹⁴²⁾. Sed quin Schoemannus veram significaverit originem et ipsos quasi fontes, e quibus mirae Lachmanni opiniones pleraeque fluxerunt, nunc, iterum pertractato huius libro omnino non dubito. — Quamobrem neque Cortuemii neque Lachmanni disputationes de diversis Spartanorum ordinibus, quippe quae non e solis verae rerum memoriae fontibus haustae sed e vana similibus captatione ad praeiudicatas opiniones et prope dixerim ad libidinem effictae sunt, pluribus refutare opus habeo, sed eam quam ipse e veterum testimoniis sincere pertractatis et comparatis petii sententiam exponam¹⁴³⁾.

Et primum quidem nullum apud veteres scriptores reperi locum, quo diversos Spartanorum ordines aut ante Lycurgum fuisse aut ab eo institutos esse comprobari pos-

142) id. pag. 240. cf. pag. 130 sq.

143) Ne cui iusto acerbius videatur meum de Cortuemio et Lachmanno iudicium: non ego solus aut primus ita de eis sentio, sed haud lenius aut severius etiam de eisdem iamdudum iudicarunt Schoemannus et Hermannus, quorum uterque censuram suam validissimis argumentis confirmavit.

sit. E contrario Lycurgus id egisse videtur, ut quam maxima inter cives omnium rerum esset aequalitas et communio, neque ulla inter eos existeret iuris inaequalitas. Neque prorsus negligenda puto vetera de summa quae antiquitus Spartaefuerit aequalitate et reipublicae constitutione quam maxime populari testimonia¹⁴⁴⁾ quae licet apud Isocratem reperiantur non omni auctoritate destituta sunt, propterea quod ille in vituperandis potius quam in laudandis rebus Laconicis modum excessisse videtur. Cum quo consentit Plutarchus, qui testatur senatum e Lycurgi instituto cuius Spartanorum, qui propter aetatem et virtutem eo honore dignus esset patuisse¹⁴⁵⁾ nam quod id posteriore aetate aliter se habuit¹⁴⁶⁾, a mutato reipublicae statu, non a Plutarchi errore repetendum esse credo. Quod enim posteriore aetate diversas civium classes, certis iuris discriminibus seiunctas Spartaefuerit exstitisse e Xenophontis praesertim libris constat, non eam habet vim, ut nomina earum classium (Ὀμοῖοι, Ὑπομείονες, Νεοδαμῶδεις, quos Pares, Subminores, Cives Novicios dicere possumus) ad antiquissima reipublicae Lacedaemoniorum tempora cum Lachmanno referre liceat. Illarum enim classium origo quaerenda videtur in eis temporibus, quae post Lycurgum secuta sunt, quibus duas causas, easque inter se quodammodo contrarias, sed quae similem haberent exitum effecisse puto, ut antiqua illa Spartanorum aequalitas tolleretur.

Prior autem causa qua factum est, ut inferior quidam ordo civium, qui non plenam haberent civitatem, Spartaefuerit oriretur, leges erant Lycurgeae duae, altera qua cives iubebantur certam quandam copiam vini frumenti ceterorumque ciborum ad publicas coenas conferre, quam qui

144) Isocrates Areopag. 24. Panathen. 73.

145) Plut. Lyc. 26.

146) Aristot. Polit. II, 6. 15.

non poterant praestare capite deminuebantur¹⁴⁷), altera quã proprio labore victum sibi parare vetabantur. Quae leges quamvis mirae nobis et absonae videantur, necessariae tamen erant, ut universa rerum Laconicarum constitutio stare posset. Necesse enim erat cives omne suum tempus rei-publicae dare, nulla rei familiaris cura distractos: quum aliter neque concordia omnium neque singulorum fortitudo ea oriri posse videretur, sine qua pauca Spartanorum millia neque peregrinis hostibus feliciter resistere neque domesticis, ingentem Perioecorum et Hilotarum multitudinem dico, tute imperare poterant. Sed quod Aristoteles dicere videtur, eos qui illam legem violassent civitate prorsus excidisse¹⁴⁸) ita se res habuisse omnino non potest. Idem enim Aristoteles, qui multos pauperes ex ea lege capitis deminutionem pati refert, saepe homines valde pauperes ephoros creari dicit¹⁴⁹). Valde pauperes autem ei tantum, ut opinor, vocari poterant, qui non habebant quod ad coenas publicas contribuerent; quos, quum ephoratus eis pateret, civitatis non expertes fuisse manifestum est. Eisdem autem, quibus ephoratus capessendi erat spes, (δῆμος qui opponitur nobilitati) senatores elegisse constat. Quodsi eos tantum civitate carere recte dicere possumus, qui iuris suffragii et iuris honorum¹⁵⁰) prorsus expertes sunt, (quambrem Perioeci civibus adnumerari non possunt), non possumus dubitare, quin ei qui paupertatis causa capitis deminutionem passi essent, quos Ἰπομείονας vocatos esse cum Hermanno credo¹⁵¹) cives nihilominus fuerint.

147) Aristot. Polit. II, 6. 21 — 7, 4.

148) Ita Hermannus locum illum intelligit. Dicit enim (Antt. Lacc. pag. 139): „Si quis igitur vel interesse syssitiis nequiret, vel ceterorum convivarum suffragiis reiiceretur, non magis ad remp. accedere poterat, quam Romae qui tribu motus interque aerarios relatus esset.“

149) Aristot. II, 6. 14.

150) Quae Schœemanni quoque est sententia Antt. 119.

151) Cf. Aristot. Polit, III, 1.

Quod vero eos attinet qui capite deminuebantur sive quia uxorem non duxerant, sive quia in bello non satis fortes se praestiterant locumve suum deseruerant: horum infamia (si transferre licet verbum ἀτιμία) gravior quam illorum videtur fuisse ¹⁵²). Eis certe quibus, quod Thucydides Spartanos ab Atheniensibus in Sphacteria insula captos passos esse refert ¹⁵³), ne emendi quidem aut vendendi ius relinquebatur, civitatem non aliqua ex parte deminutam, sed prorsus ademptam esse puto. Sed utrum eidem, quum postea restituerentur, iterum cives optimo iure an Subminores facti sint, non liquet. Alteram causam qua civium aequalitas tollebatur post Lycurgum, in eo reperiisse mihi videor, quod peregrini, qui civitate donabantur, non solebant inter cives optimo iure recipi. Nam quod Aristoteles ¹⁵⁴) dicit, Spartanos priorum regum tempore civitatem liberaliter cum aliis communicasse, eamque ob causam tum, quamvis diuturna bella gererent, hominum paucitate adeo non laborasse, ut quondam decem millia civium fuissent: quum diversos Spartanorum ordines saepius distinguat Aristoteles, verba μετεδίδοσαν τῆς πολιτείας, non ita intelligenda sunt, quasi plenum civitatis ius cum peregrinis communicassent Spartani. — Hoc enim fieri non solitum esse ex Herodoti ¹⁵⁵) narratione de Tisameno vate eiusque fratre Hegia elucet, quos solos omnium hominum, idque aegerrime inter cives optimo iure a Spartanis receptos esse dicit, quam narrationem magni esse momenti Muellerus recte observavit ¹⁵⁶). Quamquam quod Herodotus dicit, neminem unquam praeter illos plenam civitatem a Lacedaemoniis impetrasse, non simpliciter accipiendum est:

152) Plut. Lyc. 15 — Herod. VII, 231. Xen. Resp. Lac. IX.

153) Thuc. V, 34.

154) Aristot. Polit. II, 6. 12.

155) Herod. IX, 33—35.

156) Mueller. Dor. II, 44. 70 annot. 2.

nam quum hoc scriberet Herodotus oblitus esse videtur Minyarum et Aegidarum et Talthybiadarum quos omnes non in inferiorem nescio quam civium classem sed inter cives optime iure receptos esse ex ipsius verbis haud obscure consequi videtur¹⁵⁷). Quam discrepantiam ita explicandam puto, ut Herodotum eo loco qui de Tisameno est Spartanorum narrationes tantum repetere credam, qui non iam cogitarent, eorum qui tunc inter Spartanorum principes essent, maiores unquam peregrinos et Cives Novicios fuisse. Sed hoc satis certo ex eodem illo Herodoti loco consequi mihi videtur, belli Persici tempore iam antiquissimam apud Spartanos fuisse consuetudinem ut nulli peregrino plenam civitatem sive Homoeorum iura concederent. — Porro igitur quaerendum est, ad quodnam potissimum tempus Aristotelis locus quem citavimus referendus sit, quem a Lachmanno probaturo iamdiu ante Lyeurgum multa millia peregrinorum in civitatem Laconicam recepta esse praeteritum esse miror. Non enim sine aliqua probabilitate Aristotelis verba referri possent ad antiquissimam reipublicae Lacedaemoniorum aetatem. Sed obstat, quod de maioribus bellis ante Lyeurgum a Spartanis gestis nihil omnino constat, quum Muellerus et Grotius docte demonstraverint, quam parum probabilitatis habeant, quae de Soi regis expeditione contra Clitorenenses et de Cynuria a primis regibus occupata narrantur, quae ficta potius posteriorum vanitate ad sui temporis similitudinem, quam vere tradita videntur. Totus autem locus apprime convenit cum proximis post Lyeurgum aetatibus: quo tempore Spartani Lyeurgea disciplina corroborati et in unum quasi exercitum validissimum coniuncti primum eas quae etiam tum sui iuris erant Achaeorum civitates per Laconicam dissipatas expugnarunt, deinde duobus gra-

157) Herod. IV, 145, 149. VII, 134, cum quo loco cf. Muell Dor. II, 26.

vissimis bellis Messeniam in suam potestatem redegerunt, tum multis bellis cum Arcadibus et Argivis gestis in hac quoque parte regionis suae fines longe propagarunt. Per illa saecula, quum plurima bella, quanquam tantum non semper felici cum eventu, sed saepe varia et ancipite fortuna magnoque cum victorum detrimento gererentur, Spartanis ab hominum paucitate haud raro receptis in civium numerum Hilotis cavendum fuisse, quid mirum? Neque unum saltem eius rei certum exemplum deest; ei qui *Ἐπεύνακτοι* dicebantur¹⁵⁸) quos Messeniacorum bellorum tempore primum in Spartanorum occisorum locum substitutos, postea civitate etiam donatos esse legimus, qua ipsa re eos ne tum quidem eis qui cives nati essent pares factos esse, significari mihi videtur. —

Libertinos in civitatem receptos, quorum multas classes multis diversis nominibus distinctas fuisse supra diximus, omnes uno generali nomine *Νεοδαμιωδῶν* comprehendi suspicor. Quibus civitatem ullam fuisse cur Lachmanus neget¹⁵⁹) equidem non video, nam ipsum nomen clamat eos cives fuisse¹⁶⁰). Sed non plenam et absolutam eorum civitatem fuisse, non minus certum est. Nam si cives optimo iure fuissent, neque a Spartanis discerni eisque opponi possent¹⁶¹), neque tum Myroni necessarium videri potuisset affirmare eos ab Hilotis diversos esse¹⁶²).

158) Theopomp. ap. Athen. VI, pag. 271. c. d.

159) Lachm. pag. 132.

160) Mira de nomine disputat Lachm. pag. 128. annot. 2.

161) Xenoph. Ages. I, 7.

162) ap. Athen. VI, 271. f.

§ 11.

De ratione quae inter diversas Spartanorum divisiones intercesserit.

Jam procedendum est ad rationem quae inter diversas quas exposuimus civium Laconicorum divisiones intercessit investigandam, qui locus hucusque prope omnino neglectus est ab eis qui de rebus Laconicis scripserunt. Nam quae Cortuemius de ea re profert¹⁶³⁾ nihil moror; qui quum de singulis divisionibus plurima falsa contendisset veram quae inter eas fuit rationem intelligere non poterat. — Valde autem est dolendum, quod disertia veterum testimonia de ea re non exstant, quare nulla nobis relinquitur via, nisi ut exigua et dispersa quae apud veteres scriptores reperiuntur vestigia diligenter colligamus et inter se comparemus, atque ubi nulla omnino sunt testimonia, ad probabiles coniecturas confugiamus; qua via non certi aliquid sed veri similia tantum inveniri posse apparet, neque in ipsa disputatione unquam nobis obliviscendum est. Sed sicco pede, id quod hucusque plerique fecerunt, eam quaestionem praeterire nolui, quippe qua probabiliter explicata nonnullos constitutionis rerum Laconicarum locos hucusque satis obscuros in clariore luce poni posse spero. Tribus sine dubio Spartaee non recentiores esse ipsis reipublicae Spartanorum originibus, idemque de vicis magna cum probabilitate contendi posse vidimus. Unde apparet, antiquissimis reipublicae temporibus duas simul existisse civium divisiones, alteram gentiliciam, alteram localem. Quamobrem non est verisimile tribus quoque non gentilicias tantum sed item locales fuisse, quae est Muelleri coniectura¹⁶⁴⁾ quam tamen dubitanter profert, petita ex He-

163) Kortüm, l. c. 151 sqq.

164) Mueller, Dor. II. 71. 74.

sychii loco: Δύμη ἐν Σπάρτῃ φυλὴ καὶ τόπος. Sed ad hunc locum quod attinet Boeckhius inde coniecit Dymam quintum vicum fuisse, quem discernendum putat a vetere Dymanensium tribu. Sed missum faciamus hunc locum, quem non satis validum suae coniecturae fundamentum esse Muellerum ipsum minime latuit. Quodsi veteres tribus locales fuisse non videntur, ne curiae quidem, quas earum partes fuisse constat ad regiones pertinere poterant, id quod plane ut spero perspicietur, postquam paullo inferiore loco de curiis localibus, quas aliquando exstitisse suspicamur, sententiam nostram exposuerimus. Lycurgi aetate diversos Spartanorum ordines nullos sed omnes Spartanos aequales inter se fuisse vidimus, unde satis certo concludi posse puto, tum per tribus pariter et per vicos omnes Spartanos distributos fuisse, neque eas divisiones tum sibi invicem ita oppositas fuisse, ut altera aristocratica altera democratica videretur. Quanquam tribus et curias tum multo maioris momenti in civitate fuisse suspicor, quam vicos, propterea quod ex Atticarum et Romanarum rerum memoria, cum qua conveniunt nonnulla de aliis Graecorum civitatibus vestigia, satis constare mihi videtur, antiquiore civitatum aetate gentilicias divisiones regnare solere. Haud ita multo post Lycurgum (nam Homoeos iam bellorum Messeniacorum tempore fuisse Aristoteles indicat — Polit. V, 6. 1 —) antiquam omnium Spartanorum aequalitatem vidimus ita turbatam esse, ut et illorum multi parte aliqua civitatis privarentur, et libertini quum cives novicii fierent, non plena sed aliqua ex parte diminuta civitate donarentur. Cum qua rerum mutatione alteram conjunctam fuisse puto, qua tribus et curiae aristocratica quaedam, vici e contrario democratica divisio fierent. Suspicio enim quum vici omnes cives nullo ordinum discrimine facto comprehenderent, in tribubus et curiis nullos fuisse praeter cives optimo iure qui Homoei dicebantur. Quam coniecturam etiamsi certis testimoniis prorsus con-

firmari non posse confitendum est, satis probabilem certe existimo propterea quod nihil reperire potui, quum diligenter quaererem, quo refutari vel elevari possit, et quod rationes, quibus aliqua saltem ex parte probari aut commendari potest, non desunt.

Primum enim Romanae et Atticae civitatis comparatio in universum docet, gentilicias divisiones plerumque aristocratici, locales democratici aliquid habere: cui tamen argumento equidem multum tribuere nolim, nam vestigia terrent eorum, qui alienarum rerum comparatione incauta et nimia magis obscurarunt et turbarunt quam illustrarunt et explicarunt rerum Laconicarum memoriam.

Sed aliquanto gravius mihi videtur quod cives novicios in vicos receptos esse, in quibus ni fallor habitare debebant propterea quod Spartanos unam tantum urbem Spartam tenuisse constat, sine ulla difficultate statuere possumus. Sed in tribus aut curias gentilicias quomodo potuerint recipi non intelligo. (Non enim de antiquissimis reipublicae temporibus, quibus Minyas per tribus distributi sunt, sed de eis loquimur saeculis, quibus Spartani plenam civitatem parcissime communicabant). Peregrini certe in gentes recipi non poterant nisi per adoptionem quandam cuius nullum apud Lacedaemonios reperitur vestigium; nam quod Mothaces, Hilotarum filii, cum Spartanorum liberis educari solebant, inde eos adoptatos esse minime sequitur. Quamobrem mihi multo tutius videtur statuere cives novicios in vicos sed non item in curias et tribus recipi solitos esse. Eos autem qui aliquam ob causam capite ita deminuebantur, ut partem tantum civitatis amitterent, tribubus quidem et curiis exclusos esse sed locum suum in vicis retinuisse (quibus ei tantum qui summa infamia notarentur ut civitatem prorsus amitterent fortasse excidebant) coniectura tantum est, sed quam probabilem putabimus, nisi quis certa argumenta, quibus rem aliter se habuisse demonstretur afferre poterit.

Validissimum autem ni fallimur argumentum nostrae sententiae accedit e diversorum magistratuum Laconicorum comparatione. Proficiscendum autem est a loco quodam Xenophontis — (Λυκοῖργος) ἀνδρα ἐπέστησεν κρατεῖν αὐτῶν ἐξ ὧν περ αἱ μέγιστα ἀρχαὶ καθίσταται, (de Rep. Laced. II, 2) quibus verbis hoc certo dignoscitur, fuisse Spartaе munera quaedam, quae ceteris dignitate praerent, eaque non omnibus civibus sed ordini alicui optimatum, qui sine dubio eidem sunt, qui Homoei dicebantur, patuisse¹⁶⁵). Quod Xenophon ordinum discrimen ad Lycurgi aetatem referre videtur, nullius est momenti, quum per totum illum libellum omnia Spartanorum instituta illi uni attribuat. — Illis maioribus magistratibus adnumerandi sunt, qui σύσκηνοι vocabantur regum, nam ex Homoeis creabantur¹⁶⁶) (num polemarchi quoque huc pertineant e Xenophontis verbis non satis certo intelligo), deinde senatores (γέροντες), nam optimates tantum eum honorem capessere poterant¹⁶⁷). Aliqua cum probabilitate addi possunt ei triginta Spartani qui Agesilaum in Asiam proficiscentem comitabantur¹⁶⁸), nam hi quoque Homoei fuisse videntur propterea quod Neodamodibus diserte opponuntur: tum hippagretae (qui cum tribunis celerum aliquatenus comparari possunt) et equites qui dicebantur¹⁶⁹) quos nobiles iuvenes fuisse propter ipsum nomen veri simile est, quum in compluribus Graecorum civitatibus nobiles omnes Equites vocarentur¹⁷⁰). Comites regii autem erant tres, totidem hippagretae, sex, si hos addere licet, polemarchi,

165) Assentitur Plut. Lyc. 17: ἐκ τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν.

166) Xenoph. de Rep. Lac. XIII, 1.

167) Aristot. Pol. II, 6. 15.

168) Xenoph. Ages. I, 7. Plut Ages. 6.

169) Xenoph. de Rep. Lac. IV, 3.

170) Vide locos quos collegit Schoemann. Antt. iur. publ. Graec. 77 annot. 2.

triginta, si rex uterque ut aequum est adnumeratur, senatores, totidem regum consilarii in bello, tercenti equites, Quos numeros si cum tribus tribubus et cum triginta (nam tot fuisse etsi non certum veri tamen est simillimum), curiis conferimus, videmus numeros illorum magistratuum, quos maiores fuisse et ex Homoeis creatos esse aut certo aut magna cum probabilitate contendere possumus, tribuum et curiarum numeris ita respondere ut ab his pendere illas verisimillimum sit. E contrario ephori, qui popularis sine dubio erat magistratus et ex universo populo creabatur, quinque erant, totidem quot vici. — De bidyis empeloris et harmosynis nihil fere praeter nomina et quinos eos fuisse numero notum est, quamobrem hos pariter atque ephoros populares magistratus fuisse, qui omnibus civibus paterent suspicari possumus, sed non possumus demonstrare. Quibus vestigiis collectis aliqua certe ex parte confirmari videtur nostra sententia, tribus et curias Homoeorum fuisse, vicos universi populi.

Quae si ita se habebant, ut suspicamur, fieri non poterat, quin numerus eorum qui tribus et curias efficiebant, magis magisque deminueretur, sensimque ita augetur discrepantia, quae orta erat inter Homoeos et cives inferiorum ordinum, ut illi nobilitati cuidam similes fierent. Quanquam inde a bellis Persicis universus Spartanorum numerus continuo decrescebat, Homoei tamen multo celerius minuebantur quam plebs, qua re factum est, ut quum Agis III. regnare inciperet inter septingentos, qui universus civium erat numerus, centum tantum essent, qui rem haberent, (Plut. Agis 5.) qui e nostra sententia solae tribuum et curiarum erant reliquiae. Post Agidem exstitit Cleomenes III, qui quam ille aggressus erat civitatis mutationem confecit, illis Homoeis partim interfectis, (Plut. Cleom. 8.) partim in exilium expulsis (ibid. 10.) et quatuor millibus Perioecorum civitate et aequalibus agrorum sortibus donatis. Tum tribus et curias prorsus sublatas

esse etiamsi nusquam traditur, veri est simillimum: nullum certe inde a Cleomene in civitate pondus aut momentum habebant. Nam quum per se prope extinctae essent tribus et curiae, paucissimis tantum Homoeorum superstitionibus, neque eis iam ullo praecipuo prae reliquis civibus iure aut honore fruuntibus, neque cur restituerentur ulla esset causa, multo probabilius videtur, tum etiam nomina earum sublata esse¹⁷¹⁾. Quod eo nī fallor confirmatur, quod Cleomenes antiquum senatum quoque (Γεγονοσίαν) quippe qui solis Homoeis pateret et ad tribuum et curiarum rationem compositus esset, sustulit. Cives novos non turbam aliquam confusam sed in certas partes descriptos fuisse recte sine dubio statuit Schoemannus¹⁷²⁾, cui de hoc quoque prorsus assentior, quod eos in vicos distributos esse dicit. Sed quod idem vir doctissimus, si recte eius sententiam intellexi tum primum populi divisionem localem factam esse putat¹⁷³⁾ satis ut spero nostra argumentatione qua antiquissimos fuisse vicos ostendimus refutatur. Non tamen equidem nihil quod ad vicos attineat novasse Cleomenem existimo. Nam quod apud posterioris aevi scriptores et in titulis post Cleomenis aetatem incisis vici tribus vocantur ab eo institutum esse credo, translato nomine eius divisionis, quae eo usque primaria fuerat ad eam, quae inde a Cleomenis tempore sola fuit. —

Diximus curias aut a Cleomene aut non ita multo post illum sublatas esse. At reperiuntur curiae (ὠβαί) in titulis Romanorum imperatorum aetate incisis. Quae quidem quasi adversis frontibus nostrae sententiae obstare

171) Mecum facit Niebuhr, Röm. Gesch. I, 506 (Zweite Ausg.)
 „In diesen verschwinden nun die Spartiaten, wie sie in der Wirklichkeit ganz unbedeutend geworden waren.“

172) Schoemann. Prolegomm. ad Plutarchi Ag. et Cleom. pag. I. II.

173) Id. Antt. i. publ. Gr. pag. 115.

videntur, sed facillime cum eadem conciliari possunt coniectura tantum non certa, ut opinor. Persuasum enim habemus prorsus diversas esse curias antiquas, gentilicias, quae partes erant veterum Doricarum tribuum, ab illis quae in titulis Laconicis commemorantur, ad quas solas referenda nobis videtur Hesychii explicatio: ὠβαί τόποι μεγαλομερεῖς. Illas enim priores curias non diutius exstare potuisse quam tribus quarum partes erant, manifestum est. Curias locales autem partes vicorum sive tribuum recentiorum fuisse et ὠβάς tum dictas esse puto, quum vici tribuum nomine ornarentur. — Quot curiae recentiores sive locales fuerint, ne coniectura quidem assequi possumus: nullum enim, quantum equidem scio, exstat vestigium, quod ad earum numerum definiendum auxilio nobis sit. Harum nomina patronymica non fuisse mihi verisimillimum videtur, quanquam si quis dicet unam earum Agiadas dictam fuisse, propterea quod Hesychius refert locum quendam Spartaе, Agiadas vocari, equidem non oppugnabo, sed regionem id nomen non ab Agiadarum gente sed a sepulcris regum ex illa gente prognatorum traxisse coniicio, id quod satis certo consequi mihi videtur e Pausaniae loco quodam, — III, 14. 2. — Crotanos qui eodem loco tanquam pars Pitarnatarum commemorantur, curiam fuisse certum non est sed veri simile.

C a p u t III.**De summae potestatis in Spartanorum republica
distributione.**

§. 12.

De Spartanorum Regibus.

In tertio nostrae disputationis capite, quod versabitur in summae potestatis apud Lacedaemonios distributione exponenda, de regibus, de senatu, de ephoris et de comitiis nobis agendum erit. De ceteris enim magistratibus omnibus accurate disputare neque per temporis angustias nobis licet et minus necessarium videtur, quippe qui ab aliorum imperio pendebant, summae potestatis expertes, quamobrem ad universam reipublicae descriptionem illustrandam minoris sunt momenti. Quo accedit, quod de plerisque nulla vestigia satis certa reperimus, e quibus discernere possumus, utrum ad Lycurgeam rerum Laconicarum constitutionem pertinuerint, an posteriore demum tempore creati coepti sint.

De regibus igitur, nam ab his incipiendum nobis videtur, quum pleraque doctissime et diligentissime exponeret **Muellerus** ¹⁾, unum tamen locum sat gravem prorsus omi-

1) **Mueller.** Dor. II. 93 sqq.

sit, quaestionem de ea re qua vel maxime differt regnum Laconicum a reliquarum Graecarum civitatum constitutionibus: binarium dico regum numerum, de quo reliquorum quoque quorum libros de rebus Laconicus perlegi plerique nihil quod alicuius momenti sit attulerunt. Quamobrem laudandus est Lachmannus quod primus quantum scio data opera in eum locum antea neglectum inquisivit²⁾, quamquam summae eius sententiae assentiri non possum, neque hanc disputationem magis quam reliquas illius libri partes levitatis crimine vacare puto. Contendit enim notissimam illam narrationem, quam Herodotus e Spartanorum sermonibus acceptam litteris mandavit de geminis Aristodemi filiis, Eurysthene et Procle a quibus duae regiae gentes originem ducebant³⁾, non e rei alicuius vere factae memoria ortam, sed postea ad explicandum illam rerum Laconicarum singularitatem effictam esse, duasque regias familias non eiusdem sed diversae stirpis, alteram ex Hyllensium alteram e Dymanensium tribu fuisse.

Quod eam sententiam ut comprobet eisdem regum Spartanorum tabulis utitur, quarum ad ea certe tempora quae Lycurgo priora sunt quod attinet auctoritatem nullam esse intellexit et haud male demonstravit⁴⁾ inconstantia est non probanda, quamobrem nulla argumentis inde petitis vis attribui potest. Non maioris momenti sunt, quae ex illa de iuris inaequalitate, quae antiquissimis temporibus inter diversas tribus intercesserit sententia Lachmanni, quam supra coarguimus⁵⁾ fluxerunt. Ea quoque quae affert exempla regni similiter inter duas diversas gentes partiti, nullam historicam habent auctoritatem, quum omnia ex aevo mythico petita sint. —

2) Lachm. pag. 134 sqq.

3) Herod. VI, 52.

4) Lachm. pag. 309. sqq.

5) Cf. pag. 71. 72. 83.

Sed fortasse sententia illa, quamvis ab auctore suo male munita et confirmata, validioribus tamen argumentis non caret; quod mihi quidem aliquando ita se habere visum est. Putabam enim Lachmanni argumentationem debilem esse sed ipsam eius coniecturam probabilem. Nam quod Pausanias refert Agiadis et Eurypontidis diversa gentilicia sepulcra fuisse, id non videbam quam habere potuerit causam et originem, si utraque gens regia communem habuisset originem et antiquissima saltem aetate unam effecisset familiam. — Deinde multo magis seiuncta et aliena altera gens regia ab altera fuisse videtur, quam exspectandum esset si propinquitatis vinculis connexae fuissent. Ita, quum in utraque gente non raro factum esse constet, ut iuvenes puellas propinquas sibi, seu consobrinas seu neptes, ducerent, nullum ullius matrimonii inter utriusque familiae posteros pacti vestigium reperire potui, quod, etiamsi in tanta testimoniorum paucitate fortuito casu factum esse potest, ut complura de illius, nulla de huius generis matrimoniis ad nos pervenirent, potest tamen non sine aliqua probabilitate ita explicari, ut familiis regibus vel lege aliqua vel more et consuetudine ne unquam affinitate inter se coniungerentur interdictum fuisse suspicemur. Tale enim praescriptum ad discordiam amborum regum, quam reipublicae salutarem existimasse Lacedaemonios constat, conservandam et augendam imprimis aptam fuisse, neque callidum eius modi consilium a Spartanorum reipublicae indole abhorreere videtur. Tum quod novum prorsus et inauditum videbatur facinus, quum Cleomenes III Euclidem fratrem regni socium sibi cooptavisset, aliqua ex parte ostendit, quam assueti Spartani regibus nulla inter se necessitudine coniunctis fuerint. Quae argumenta licet paulo ni fallimur validiora sint, quam quae Lachmanus protulit, non tamen eam habent vim, ut negare audeamus, Herodoti narrationem ulla ex parte memoria rei vere factae niti. Sed equidem hanc quaestionem talem

esse existimo, de qua vix sperandum sit fore ut aliquid certi reperiatur. Tempus enim ad quod pertinet illa narratio tam longo spatio antecedit initium eius aetatis, in qua publica monumenta scribi coepta sunt (quanquam hoc apud Graecos nonnullis saeculis antequam primi rerum scriptores exstiterunt factum est) ut obscurissima et incertissima eius sit memoria, neque quae de eo vera aut probabilia, quae fabulosa tradantur satis certo distingui possit.

Quod ad regum Spartanorum munera attinet Muellerus⁶⁾ rectissime monet, regiam apud Lacedaemonios potestatem quasi continuationem fuisse regni heroici, cum quo plerisque in rebus singulis accurate congrueret. — Quod quam vere contenderit plane elucet ex uberrima Herodoti descriptione⁷⁾, quae pauca tantum continet nisi quorum similia de heroicae aetatis regibus apud Homerum reperiuntur. Herodotus autem eo quem citavimus loco tripartita regum Spartanorum munera, quae et ad Deorum cultum et ad ius dicendum et ad bella gerenda pertinebant ita exponit, ut magis de antiquioribus reipublicae Laconicae temporibus, quam de sua ipsius aetate vera videatur esse eius descriptio, quam ex eodem e quo pleraque quae de rebus Laconicis retulit fonte, ex ipsorum Spartanorum narrationibus, haustam puto. Quomodo aucta senatus auctoritate Lycurgus regum potestatem minuerit sequenti sectione explicabimus: nunc tripartitum regum munus et reliquam eorum conditionem ita percurramus, ut quantum fieri poterit antiquissimam regni Laconici constitutionem definiamus.

Et primum quidem quasi pontifices maximi erant reges, quippe qui et sacerdotiis Iovis Coelestis et Iovis Lacedaemonis fungebantur, et singulis mensibus Apollini

6) Mueller, Dor. II, 93.

7) Herod. VI, 56—59, cum quo conferendus est Xenoph. de rep. Lac. XIII et XV.

hostias immolabant, quae eis publice praebebantur, et in expeditionibus quotiescunque vellent sumptu publico pro exercitu rem divinam faciebant: quo accedebat quod nisi per eos Spartanorum civitati cum oraculo Delphico agere non licebat, quam rem omnium quae ad res sacras pertinebant plurimum ad regum potestatem augendam valuisse suspicor. Quod ius ita exercebant reges ut binos sibi eligerent pythios qui dicebantur, qui si res ita ferebat oraculi consulendi causa Delphos mitterentur et quae retulissent responsa una cum regibus custodirent⁸⁾. Quae regiae potestatis pars inde ab antiquissimis temporibus usque ad regni Laconici finem eadem semper fuisse videtur, nisi quod posterioribus temporibus ephori nonnunquam sibi arrogasse videntur quae antiquitus ad regum ius circa sacra pertinebant: nihil certe reperi quod in hac re unquam per legem aliquam mutatum sit⁹⁾. Neque possumus dubitare quin reges, antiquissimis potissimum temporibus, (quanquam apud Spartanos multo diutius quam apud Graecorum plerosque antiqua quaedam religio et pia superstitio valuit) pontificalis dignitatis beneficio sine rumore et quodammodo in obscuro non exiguam auctoritatem et magnam vim in hominum animos exercuerint, praesertim quum nulli usquam alii sacerdotes commemorentur, qui Sparta in rebus publicis alicuius fuerint momenti, multo autem minus qui ipsorum regum auctoritati officere potuerint.

8) Conf. supra pag. 30.

9) Quod confirmatur etiam Xenophontis testimonio. Nam etiamsi is — l. c. XV. 1. — universum regum munus nunquam mutatum esse, nisi a Lycurgo, dicere videtur, ita tamen intelligendus est locus, ut potissimum ad regum ius circa sacra, de quo illo loco agit, referatur. Nam de universo regum munere omnino non posse valere quae Xenophon dicit statim demonstrabimus.

E contrario ea regiae potestatis pars quae in iure dicendo versabatur temporum decursu magnopere deminuta esse videtur. Nam quae Herodotus commemorat, iurisdictio de viis publiciis et de iis litibus quae de iure puellae heredis (quae ἐπιποιμαίς apud Spartanos vocabatur) ducendae inter propinquos eius orirentur, nihil nisi exiguas reliquias fuisse potestatis quae aliquando multo latius patuerat pro comperto habeo, quum aevo heroico, a cuius institutis proxime abfuisse rerum Laconicarum constitutionem antiquissimam Muellerus nobis et Grotius persuaserunt, iudicialis regum potestas tanti esset momenti, ut inde reges apud Homerum saepissime δικάσπολοι vocarentur, et mercedes vel dona quae pro iudiciis accipiebant, (quae δέμιστες dicebantur) non exiguam vectigalium regionum partem efficerent. Similiter Spartae quoque antiquissimis temporibus reges solos iudices fuisse puto, quibus in gravissimis tantum causis senes (γέροντες) assisterent, (qui si ex Iiadis locis nonnullis coniecturam de rebus Laconicis facere licet) suffragium liberum non habebant, sed a regibus sententiam rogati quid sibi videretur dicebant. Quae regum potestas primum deminuta est, quum Lycurgus senum concilium in eam quam inde ab illo tempore servavit formam redegit, multoque maiore, quam antea habuerat, auctoritate praedidit. Nam inde ab illo tempore de causis capitalibus ius dicebat senatus, in quo reges, quanquam consilio illi praesidebant, suffragio tamen non plus valebant quam singuli senatores. — Postea iurisdictio de causis privatis, (hanc enim generalem vim inesse puto in verbis αἱ περὶ τῶν συμβολαίων δίκαι) ad ephoros translata est qui quum principio nil nisi vicarii quidam regum essent et fortasse ab ipsis regibus crearentur, mox tribuniciam quodammodo potestatem adepti, non solum regum imperium aspernabantur, sed ipsos reges molestissimis quasi catenis adstringebant. Qua re factum est, ut reges quum nihil iam ad eos pertinerent causae privatae quas initio ipsi, deinde

sub illorum nomine ephori diiudicaverant, ex universa quae ad ius dicendum pertineret potestate nihil iam reliqui haberent, praeter exiguas illas quas Herodotus commemorat reliquias et suffragia quae de causis capitalibus tanquam principes senatus ad quem illae res pertinebant, ferebant.

Quod Herodotus narrat, licere regibus cuilibet civitati bellum inferre, neque Spartanorum quenquam eos quominus id facerent impedire posse, si ad ipsius scriptoris aetatem referimus verum omnino non est, quum nonnullis eiusdem Herodoti locis certo efficiatur, ut tum iam penes ephoros fuisse intelligamus exercitus convocare et extra fines emittere et regibus vel aliis imperium tradere¹⁰⁾. Post Herodoti aetatem regum imperium multo arctioribus finibus, quam tum erant, circumscriptum esse, ut prope ad ephorum nutum et arbitrium pleraque gererentur, plurimis Thucydidis Xenophontis Plutarchi aliorum locis comprobare possemus, nisi a nostra disputatione aliena videretur illa quaestio. Antiquissimis autem reipublicae Laconicae temporibus verisimile est ad heroicae aetatis similitudinem reges Spartanorum bellicum imperium plenum nullisque fere finibus circumscriptum habuisse, neque dubito, quin ad illam aetatem Herodoti testimonium referam. Ex apophthegmate quodam quod servavit Plutarchus¹¹⁾ concludere possumus, primos Lacedaemoniorum reges ad bella finitimis ultro inferenda iusto proniores fuisse, nimirum quod bellis gerendis potestatem suam augeri, pace debilitari viderent, quamobrem a posteris vituperati sunt, quod militum duces quam reges esse maluissent. Veri autem est simile, Lycurgum id agentem, ut a nimia illa bellandi cupiditate reges prohiberet, quam populi libertati perniciosam haud immerito putabat eam legem tulisse, quam Plutarchus in tribus quas vocat rhetris asservavit,

10) Herod. IX, 10.

11) Plut. Apophth. Lacon. *Πλείσταρχος*.

ne saepius eosdem bello peterent¹²). Nam quod Plutarchus eius praescripti consilium fuisse dicit, ne ad frequentes impetus arcendos coacti hostes paulatim quamvis inviti fortiter pugnare discerent, id eum ipsum effinxisse suspicor: a Lycurgo certe quam maxime est alienum, ne dicam ineptum. Xenophon autem refert, Lycurgum regibus concessisse (aut reliquisse quod verius dictum esset) ut imperium gererent in expeditionibus, quae populus iussisset¹³). Neque video quare de hoc testimonio dubitemus, nam prorsus veri simile est Lycurgum regum potestatem, ubicunque nimia esset et populi libertati formidolosa certis et arctioribus quam olim fuerant finibus circumscripsisse.

In universum igitur si quaerimus per quas deinceps mutationes et deminutiones regnum Laconicum a magna quam olim habuerat potestate ad eam, quam bella Persici et Peloponnesiaci sequentibusque saeculis cognoscimus debilitatem depressum sit, haec fere satis confidentur respondere possumus: antiquissimis temporibus regum Spartanorum potestatem non certioribus finibus circumscriptum fuisse, quam heroicorum regum, nec defuisse cur sibi gratularentur Spartani, quod invidia quae inter utriusque gentis reges tantum non semper intercedebat, aliqua ex parte cavebatur, ne regum superbia populi libertas omnino opprimeretur: deinde Lycurgum, ut finem imponeret seditionibus turbisque intestinis (quas propter regum modo superbiam modo ambitiosam erga plebem indulgentiam modo mutuam invidiam frequentissimas et saevissimas fuisse et ex ipsa rerum conditione etsi diserta testimonia deessent, suspicari possemus, et multis eisque gravissimis

12) Tale illius rhetrae consilium fuisse probabiliter coniecit Herm. Antt. Lacc. 44.

13) Xenoph. de rep. Lac. XV, 2. ἔθηκε βασιλέα
 στρατιάν ὅποι ἂν ἡ πόλις ἐκπέμπη
 ἡγεῖσθαι.

veterum scriptorum testimoniis confirmatur) certis finibus ita descripsisse ut multa quae eo usque regum arbitrio permissa fuerant ad senatum aut ad comitia transferrentur. Quomodo deinde factum sit, ut reges creatis ephoris multo maiore eius quam Lycurgus eis reliquerat potestatis parte privarentur, paulo post quando de ephoris agemus brevi significabimus, nam uberior eius rei expositio a nostrae disputationis argumento proposito aliena est. —

Recte autem ostendit Muellerus regum Spartanorum honores multo maiores fuisse quam iura, dignitatemque quam potestatem: tantamque quod eum locum attinet inter Spartanorum reges etiam posterioris aetatis et heroici aevi reges intercedere similitudinem, ut apertum sit Spartanos de honoribus regalibus aut nihil aut non multum certe detraxisse. Quod quum ille ad „singularem quandam et admirabilem Spartanorum in republica ordinanda prudentiam et sagacitatem“ referat, equidem magna saltem ex parte Lycurgi sapientiae tribuendum puto, qui quum potestatem regiam, quippe quam nimiam videret et prope tyrannicam, magnopere diminueret, nullum tamen privilegium, regibus maiorum manibus traditum, quo salva populi libertate frui possent eis adimere studeret. Cuius exemplum quum posteri quoque plerumque observarent, factum est ut regum Spartanorum honores incolumes et prope intacti inde ab antiquissimis reipublicae Lacedaemoniorum temporibus ad eam aetatem qua prorsus dissoluta est veterum Laconicarum constitutio perdurarent: id quod facile perspicitur e mira quadam summae antiquitatis priscaeque simplicitatis specie in tota Herodoti de regum Spartanorum honoribus expositione conspicua. — His autem praecipuis honoribus fruebantur, quod in coenis publicis binas portiones ciborum accipiebant, quod publicis sacrificiis praeerant omnibus, item quod ad privata quoque sacrificia vocari et eximia quadam victimarum parte donari solebant, deinde quod Spartani omnes via et sedibus appropinquan-

tibus regibus cedebant¹⁴⁾. Maiore etiam reverentia quam vivi reges vita functi colebantur, et funera eorum „solemniora quam pro hominibus“ (ut Xenophon¹⁵⁾ de Agidis funere dicit) mirum in modum discrepant a summa reliquorum funerum apud Spartanos simplicitate, quam propria aliqua lege Lycurgus praescrisit¹⁶⁾. Quotiescunque enim rex aliquis diem obiisset supremum, iustitium indicebatur, quo per decem dies nullum publicum negotium agi licebat: bini homines e singulis Spartanorum familiis veste mutata et pulvere conspersi funeri adesse debebant, multaque millia Perioecorum et Hilotarum ex universa Lacedaemoniorum ditione Spartam convenire cogebantur qui regis obitum deplorantes eum maiorum omnium virtutes superasse praedicarent. Regum vectigalia non modo qui Spartanorum, sed etiam qui ceterorum Graecorum captus erat, satis ampla

14) Nam quod ephori regibus non surgebant, sed ab illis eam salutationem accipiebant (Xen. Rep. Lac. XV, 6) a Lycurgea aetate prorsus alienum est, qua ephoros si qui iam tum fuerunt, satis humili munere functos esse pro comperto habeo. Sed ne tum quidem, quum (a Theopompo rege, ut suo loco ostendemus) potestas eorum aucta esset, eos tantos statim spiritus sumpsisse credo, ut solitam salutationem a regibus postularent, his denegarent. Quae ephorum superbia tum demum oriri potuit, quum exulta et adulta populari quae dicebatur sed non erat rerum Laconicarum constitutione, magistratus e populo reipublicae ut ita dicam domino creati, qui summam potestatem eius nomine exercerent id potissimum agerent ne unquam obliviscerentur reges quantam reverentiam sibi deberent. Sexto a. Chr. n. saeculo reges eo humilitatis nondum depressos fuisse, conicio ex Herodoti (V, 39. 40) de Anaxandrida narratione, cum quo satis modeste et minime tanquam dominos ephoros egisse legimus.

15) Hellen. III, 3. 1. — Idem de funeribus regis in universum agit R. P. Lac. extr.

16) Plut. Lye. 27.

erant. Similiter atque reges heroicae aetatis agri publici partem aliquam, quae *τέμενος* vocabatur, Spartanorum reges agros per multa Perioecorum oppida distributos possidebant¹⁷⁾, a quorum fructu diversum erat „tributum regium,“ quod quale et quantum fuerit accurate definiri non potest, sed quod Perioecos, non Spartanos, regibus pendisse veri simile est¹⁸⁾. Praeterea reges magnam partem praedae in bellis captae accipiebant, ut plerumque satis divites fuisse videantur.

Ceteras Doricas civitates quod attinet inde quod in antiquissimis earum, Argis, Messeniae, plerisque aliis, reges aliquando fuisse constat, satis certo concludere possumus, regnum antiquam Doricarum rerum constitutionem fuisse, quae suspicio confirmatur et ceterarum Graecarum civitatum comparatione, quas aevo heroico a regibus gubernatas esse constat, et traditionibus de antiquissimo Doriensium rege Aegimio, (licet hic non historica sed mythica persona sit.). Quantum scimus regiae gentes antiquissimae in omnibus Doricis civitatibus genus ab Hercule ducebant, heroe illius gentis proprio. Sed quod antiquissimis temporibus in omnibus exstitisse videtur regnum, in nulla fere Dorica civitate duravit. Spartanorum enim regnum, antiquitus bipartitum et iam a Lycurgo magna suae potestatis parte privatum, post ephoros constitutos vix iam summum imperium vocari poterat. — Argis regum potestas iam paucis aetatibus post migrationem Doricam arctissimis finibus circumscripta esse dicitur¹⁹⁾, quam qui restituere conatus est, Phidon, propterea quod magnis suis ausis excidit, tyrannus plerumque vocatur. Post quem, quanquam Pausanias Meltam Lacedis filium, duodecimum Temeni posterum regno prorsus privatum a

17) Xen. de Rep. Lac. XV, 3.

18) Plato Alcib. I. pag. 125.

19) Paus. II. 19, 2.

populo refert, reges tamen Argivorum Xerxis aetate etiam tum fuerunt²⁰⁾, sed qui nihil fere praeter nomen regium habuisse videntur. Et Argivorum et Messeniorum regibus exprobratur, quod pleni nullisque finibus circumscripti imperii cupidi civitates seditionibus implicaverint, populumque superbia sua ad tollendum regnum ultro excitaverint²¹⁾. Sed quum omnium rerum Messenicarum tum seditionum quae illam civitatem agitarunt valde obscura est memoria; quamquam reges Messeniorum fuisse dum eam regionem Lacedaemonii in suam potestatem redigerent satis constat. — In eis quoque civitatibus quae ab Argivis conditae sunt et plerisque Doriensium coloniis reges fuisse Muellerus²²⁾ maxima cum diligentia locis plurimis collectis demonstravit; quas singulas enumerare non necessarium putamus, quum de regni in illis civitatibus modo et conditione et sorte nihil fere constet quod aliquo cum fructu cum rebus Laconicis conferri possit. — Regnum bipartitum Spartano simile in nulla alia civitate quantum reperi exstitit, in qua Laconicarum rerum publicarum singularitate magna ex parte causam quaerendam puto²³⁾ eius rei, quod regnum Laconicum iam inde ab initio minus validum quam in aliis Doriensium civitatibus, non tam longe quam in earum nonnullis factum videtur, ultra modum crescere, neque tantam populi invidiam excitare poterat, quae alibi ut regnum aut tolleretur, aut prope ad nihil reduceretur effecit. Quare factum est ut Spartanorum reges, licet summam in republica potestatem paulatim amitterent, nomen et vectigalia regia et dignitatem prope integram atque hereditarium in bellis imperium retinerent, quum in reliquis civitatibus prorsus sublato regno alii magistratus rempublicam gubernarent.

20) Herod. VII. 149.

21) Plato, Leges. III, pag. 692.

22) Mueller, Dor. II. 104 sqq.

23) Aristot. Polit. V. 9. 1.

Quos magistratus in omnibus de quibus loquimur civitatibus paucos numero atque e nobilitate creatos fuisse apparet. — Tales enim magistratus erant Cretensium cosmi, qui licet iam ab Aristotele cum Spartanorum ephoris comparentur, longe tamen ab his diversi fuerunt (hac re maxime, quod e nobilitate creabantur, quum illi ex universo populo, nullo discrimine fierent) multoque melius cum Atheniensium archontibus antiquioribus comparari posse videntur. Nam eisdem fere muneribus fungebantur cosmi, quibus antea Doricos Cretensium reges functos esse suspicari possumus, vel si recte suspicatus est Hoeckius Cretensium civitates Doricas nunquam a regibus gubernatas esse, eisdem fere quae Lycurgi aetate reges Lacedaemoniorum habebant. Cosmi enim²⁴⁾ deni quotannis e paucis nobilibus gentibus creabantur, in bellis imperabant, negotia cum externis populis moderabantur, iurisdictionis quoque partem aliquam exercebant: sed num sacerdotalibus quoque muneribus functi sint, nescio. Recte autem Hoeckius perhibet, potestatem eorum vel maiorem fuisse quam regum Spartanorum e Lycurgeis institutis, propterea quod concio Cretensium multo minoris etiam erat momenti quam Lacedaemoniorum; quanquam eo quod non hereditario iure sed creati illum honorem capescebant, et quod summa potestas inter denos divisa erat, cosmi aperte inferiores erant regia dignitate. Tanta autem, quantum descripsimus, cosmorum potestas non semper fuit, sed tertio fere ante Christum saeculo (ut Hoeckius suspicatur) tota rerum publicarum apud Cretenses ratio, nam forma eadem fere quae antea mansit, ita mutata est, ut summa potestas, quam antea optimates, paucae quaedam nobilium gentes, totam tenerant, ad populum transferretur. Tum cosmi multo maiore potestatis suae parte pri-

24) De quibus post Muellerum (Dor. II, 125—129) copiose et diligenter egit Hoeck, (Kreta III. 46—53).

vati a comitiis; eo usque debilibus et auctoritate prope nulla praeditis pendere inceperunt.

In nonnullis Doricis civitatibus supremi magistratus prytanes vocabantur²⁵⁾, quos aliquando prope reges fuisse inde concludere possumus, quod Charon Lampsacenus Spartanorum reges ita vocabat, neque deest causa cur Spartanorum reges antiquissimo tempore prytanes vocatos esse putemus. Corinthi in locum regum substituti sunt prytanes, qui quum diu ex una regia Bacchiadarum gente sumerentur, singulique semper civitatem gubernarent, eo tantum a regibus differebant, quod eligebantur, annique erant. — In Rhodiorum civitate bini quotannis creabantur prytanes, quorum singuli per senos menses summam in civitate exercerent potestatem.

De artynis qui Argis et Epidauro fuerunt, quos Muellerus eidem magistratum generi adnumerat²⁶⁾ nihil prope praeter nomen nobis notum est. Quodsi Muellerus recte suspicatur, eos non sublatis regibus in locum eorum successisse, sed iam prius exstitisse, potest cogitari, eos fortasse similem aliquam Lacedaemoniorum ephoris potestatem exercuisse.

§ 13.

De Spartanorum Senatu.

Quod Lycurgum senatum (*γεγονοσία* quae dicebatur) primum constituisse nonnulli tradunt²⁷⁾ nil nisi frequens illa permutatio institutorum antiquissimorum quae Spartaefuerunt et Lycurgeorum esse potest. Nam seniorum concilio, quod aetate heroica necessaria quaedam pars erat

25) Mueller, Dor. II, 130 sqq.

26) *ibid.* 135.

27) Herod. I, 65 extr. Plut. Lyc. 5 med.

omnium Graecarum civitatum²⁸⁾, unquam prorsus caruisse Lacedaemonios adduci non possumus ut credamus. Quo accedit quod testimonia eorum, qui senatum a Lycurgo constitutum esse tradunt, per se incertissima videntur, quum facile appareat, non fabulis tantum, ex hominum sermonibus vetustaque traditione ortis, sed commentis quoque argutisque explicationibus coniecturisque a posterioris aetatis rerum scriptoribus illa vestigia tantopere mutata esse et corrupta, ut quid in eis genuinum insit, dignosci non iam possit.

Lycurgus enim dicitur triginta viros nobilitate praestantes sibi primos conciliasse, eorumque auxilio, quum armati forum occupassent, quas novas ferebat leges, etsi nemine violato tamen metu percussis civibus pertulisse. Constituta nova reipublicae forma illos adiutores suos senatores creasse dicitur²⁹⁾. Quae narratio mihi fidem omnino nullam mereri videtur. Persuasum enim habeo, ut supra dixi³⁰⁾, Lycurgo populi regumque communi consensu id negotii mandatum esse, ut reipublicae constitutionem eo usque nullis certis legibus fluctuantem seditionibusque turbatam ordinaret et emendaret, inque futurum tempus confirmaret. Id vero prorsus contrarium est Plutarchi narrationi, qui Lycurgum per vim et ad suum arbitrium et suorum amicorum commodum reipublicae constitutionem commutasse refert. — Quodsi Hermippus ex istis triginta Lycurgi adiutoribus viginti nobilissimos nominatim enumeravit, quamvis obloquente Lachmanno non dubito assentiri Muellero, de eo, quod illum aut ipsum finxisse, quae scire non poterat, aut aliorum commenta recepisse contendit³¹⁾. Quidnam vetustae traditionis lateat in istis narra-

28) Schoemann, Antt. pag. 68 cf. ibid. 72.

29) Plut. l. c. cf. 26 init.

30) cf. supra pag. 10.

31) Id quod Lozynskius quoque, qui Hermippi Smyrnaei fragmenta illustrata edidit (Bonnae 1831) concedit.

tionibus, certo dignoscere non possumus, sed affirmare non dubito, haud ita multum veri in eis inesse. Sed e contrario certissimum est Spartanorum senatum licet a Lycurgo primum institutus non sit, magnopere mutatum et in eam formam redactum esse, quam (nisi quod pauca temporum decursu non tam novis legibus, quam sua quasi sponte contra legislatoris consilium et sententiam potius quam verba mutata esse videbimus) ab illo inde tempore retinuit. Numerum senatorum qui fuerunt triginta, si reges numero includimus, a Lycurgo primum constitutum esse haud temere inde concludere mihi videor, quod in rhetra Lycurgea legitur, nam si hic numerus antiquitus traditus fuisset, eum diserte addere nil attinebat. — Sed ante Lycurgum viginti tantum senatores fuisse, vel duos senatus, Hyllensium et Dymanensium, quorum uterque denos contineret senatores, quos Lycurgus demum additis decem Pamphyliorum senibus in unum senatum ad universam rempublicam pertinentem coniunxerit, merae coniecturae sunt Lachmanni³²⁾ quas cur accipiamus ne minimam quidem umbram ut ita dicam rationis videmus. — Veri ni fallor propior est haec coniectura, ante Lycurgum senatorum apud Lacedaemonios nullum certum et semel definitum numerum fuisse; nam satis constat, heroicae aetatis senum concilia non semper certo aliquo numero senatorum constituisse.

Quodsi tanquam certum sumere nobis licet, id quod argumentis non ab omni parte confirmari posse concessimus, triginta fuisse curias, nihil iam video cur in dubium vocemus quod Muellerus nimis fortasse confidenter, quasi certum esset, contendit, singulos e singulis curiis senatores creatos esse. — Tum igitur, si praeter duas curias e quibus nulli senatores creabantur, sed eorum loco ambo

32) Lachmann, l. c. 145. 155 sqq.

reges senatui intererant, ceterae curiae omnes suum quaeque praebebant senatorem, sed eum non ab eiusdem curiae civibus sed ab universo populo e curia creandum.

Rationem qua Spartanorum senatores creabantur ut a Lycurgo institutam esse et inventam credamus multa sunt quae nobis suadent. Primum enim ad antiquiora tempora referri vix potest, quibus populo eligendorum magistratum ius fuisse e comparatione civitatis heroicae minime est probabile, quum aut a regibus evocati esse aut hereditario aliquo iure ad eum honorem pervenisse videntur ei, qui apud Homerum senum concilia efficiunt, a quibus magnopere discrepasse antiquissimum Spartanorum senatum non est veri simile aut probari certe non potest. Modus autem, quo senatores apud Spartanos eligebantur³³⁾ tam singularem prae se fert priscae simplicitatis speciem ut quum nullum ne levissimum quidem vestigium sit, unde concludere possimus, post Lycurgum novas leges ad senatum pertinentes perlatas esse, ad Lycurgum initium illius electionis referre dubitare non possimus. Quae licet ab Aristotele³⁴⁾ puerilis vocetur, propter ipsam illam priscae simplicitatem, quae cum ceterarum civitatum magis excultarum institutis comparata, imbecillitatis aliquid habere videri poterat, neque iam perveniebat, quo e legislatoris consilio debebat, (quod cur ne potuerit quidem assequi paulo post explicabimus) eximiam Lycurgi et prorsus admirabilem ostendit in republica constituenda prudentiam aut prope dixerim divinam quandam sapientiam. Quam equidem maxime perspicere mihi videor in singulari artificio, quo senatorum eligendorum modus ex aristocraticis et democraticis rationibus ita mixtus esset ac bene compositus, ut coniunctis eis quae bona essent in utraque ratione prorsus vitaretur, quidquid iustos fines excedebat

33) Quem accurate describit Plut. Lyc. 26.

34) Aristot. Polit. II, 6. 18.

atque sive oligarchici sive ochlocratici aliquid habebat. Non enim ex ullo ordine maioribus quam reliqui cives iuribus praedito ex Lycurgi instituto creabantur senatores, quum ut persuasum habemus et ni fallor probavimus nullo etiam tum iuris discrimine Spartani in diversas classes distinguerentur: sed sola singulorum civica virtus, id quod aperte dicit Plutarchus, viam ad senatum aperiebat, quare efficiebat Lycurgus ut Spartani omnes, quum nulli praeclusa esset spes, fore ut aliquando ipse summum illud virtutis per totam vitam probatae praemium assequeretur, ad obtemperandum legibus quamvis duris molestisque magnopere excitarentur⁸⁵). Sed quum, quod omnibus civibus senatoriae dignitatis aliquando capessendae spes concedebatur, quam maxime populare esset institutum,

35) Quod Lachmannus — pag. 157. annot. 2 — et ante et post Lycurgum senatum apud Spartanos soli nobilitati patuisse contendit, magis e suarum opiniorum tenore id disputat, quam certis argumentis ullis confirmat. Nam quae affert Aristotelis et Polybii verba, qui de sua quisque aetate loquuntur, ea ad definiendum id quod Lycurgi tempore factum sit, nullam omnino vim habent, dummodo a nobis probabiliter explicetur, quomodo et quando senatores praeter Lycurgi consilium et institutum non iam ex omnibus senioribus Spartanis, sed ex solis Homoeis creari coepti sint. Quod vero Platonis quoque locum (Leges III. pag. 691) ad sententiam suam comprobendam affert sic scriptum: *ἔτι μίγνυσι τὴν κατὰ γῆρας σώφρονα δύναμιν τῇ κατὰ γένος αὐθάδει δόμῃ*: dubius haereo, utrum illum obiter inspexisse an scientem mutilasse putem locum, quem si quis totum legerit intelliget profecto verba *τῇ κατὰ γένος αὐθάδει δόμῃ* ad regum imperium etiam tum superbum (*ὑμῶν τὴν ἀρχὴν φλεγμαίνουσαν ἔτι*) necessarie referri, de senatu autem (*τὴν κατὰ γῆρας σώφρονα δύναμιν*) nil omnino praedicari, nisi senes ad coercendam regum superbiam a Lycurgo paribus suffragiis praeditos illis non iam tanquam inferiores et subditos, sed tanquam pares additos esse.

ipse tamen senatus ita constitutus erat, ut concilio oligarchico haud absimilis esset. Eo enim spectat exiguus senatorum numerus, et quod nemo sexagenario minor eligi poterat, et quod qui semel rite creati erant magistratu illo nulli rationi reddendae adstricti usque ad naturalem vitae suae finem fungebantur, et quod longe maiore, quantum discernere possumus auctoritate et potestate fruebantur, quam ullus senatus populari ratione compositus in aliis Graecorum civitatibus: praesertim quod Lacedaemone solus senatus de capite civis ius dicebat. In hisce et similibus, non in nobilitatis alicuius hereditariis privilegiis veterum scriptorum „meram illam et Doricam aristocratiam“ (quae sunt verba Plutarchi) quaerenda esse egregie exposuit Schoemannus³⁶). — Prorsus autem aliena et exclusa ab ea quam Lycurgus instituit senatorum electione erat et sortitio (quae democratiae iustos fines egressae est) et (quae oligarchica sunt) privilegia certis quibusdam gentibus sive ditissimo cuique concessa.

Quo consilio Lycurgus senatum constituerit (nam id eum fecisse recte dicere possumus, quum revera prorsus diversa esset gerusia ab heroicae aetatis senum conciliis, a quibus et quod eligendi modum attinet longe discrepabat, et quibus auctoritate et potestate immane quantum praestabat) bene in universum referunt Plato et Plutarchus. Id enim agebat Lycurgus, ut et regum potentiam nimiam et nisi quod inter duos divisa erat prope tyrannicam minueret, certisque finibus describeret, et concioni populi, quippe quae ad consulendum de gravissimis rebus non satis idonea esset, non nimium iuris tribueret. Quamobrem id ni fallor sanxit Lycurgus, ne ullum alicuius momenti negotium regibus ad arbitrium suum inconsulto senatu agere liceret, et quum antea (si ex Homeri carminibus

36) Schoem. de ecclesiis Lacedaemoniorum pag. 14.

coniecturam de antiquissima rerum Laconicarum constitutione facere licet) senes rogati tantum a regibus sententiam suam pronuntiassent, neque oportuisset regem eorum consilio obtemperare, Lycurgus eos paribus cum illorum suffragiis praeditos regibus adiunxit³⁷⁾. Sed de gravissimis rebus quae antea re vera penes reges fuerant, Lycurgus ne senatui quidem cum regibus soli decernere concessit, sed hoc tantum iuris ei attribuit, ut de legibus sancendis vel commutandis, de bello et pace, et de omnibus, quae ad summam rempublicam pertinerent, consuleret et cum populo, ad quem summum de omnibus illis rebus arbitrium referebatur, de eis ageret. Sed summum senatus munus, sine dubio a Lycurgo ad illum translatum, quum antea regum fuisset, erat hoc, quod solus de capite civis ius dicebat, quod quantopere auxerit illius concilii dignitatem, plane perspicitur ex Aristotelis et Xenophontis et Plutarchi verbis, qui omnes illud senatus munus inprimis urgent. Sed non prorsus explevisse videtur senatus munus suum, quod e legislatoris consilio, quantum nunc discernere possumus id erat, ut inter reges et populum medius interpositus, caveret in futurum ne novis seditionibus respublica Lacedaemoniorum agigaretur. Nam post Lycurgum haud ita diu Spartam tranquillam fuisse turbisque civilibus liberam, quam plerique putarunt, Hermannus in Antiquitalibus Laconicis egregie demonstravit. Sed quid causae fuerit, cur senatus, quem inter Lycurgea instituta vel pri-

37) Quod quum diserte dicat Plato, cuius verba et explicantur et confirmantur Thucydidis testimonio — I, 20 — nihil curamus Larcheri et Tittmanni — l. c. pag. 121 annot. 88. — opinionem, Herodoti loco satis obscuro — VI, 57 extr. — et recentioribus Dionysii et Luciani testimoniis nixam, reges bina suffragia, vel quam accipiunt argutam Scholiastae Thucydidei explicationem, qui scriptorum de ea re dissensionem ita tollere conatur, ut contendat, eos singula suffragia, sed quae pro binis essent, tulisse.

mariam locum obtinuisse constat, et qui quanta cum sapientia constitutus fuerit vidimus, non potuerit aut cavere ne eae seditiones orirentur aut exortas compescere, divinare potius possumus quam plane perspicere. Senatus e Lycurgi institutis ex universo ut vidimus populo creatus ita comparatus erat, ut omnes cives eius quodammodo participes essent, quum nemo ab aditu eius excluderetur. — Sed quum, ut nos putamus haud ita longo tempore post Lycurgum prisca civium aequalitas turbata esset³⁸⁾, exortis Homoeorum et Hypomionum et Neodamodum ordinibus, senatus Spartanorum, qui quum ab aditu eius omnes, qui Homoeorum iure carerent prohiberentur, concilium prorsus aristocraticum factus erat, non iam factionibus maior et superior erat, neque earum dissensiones et seditiones reconciliare et pacare poterat, sed magis etiam excitabat. Et primum quidem senatui cum regibus compescere contigit concionis, in qua ut apparet iam tum inferiores ordines civitate non plena fruente multum valebant, studia, quae eo tendebant, ut iura sua ultra modum populo a Lycurgo statutum auget, et perlata est a Theopompo et Polydoro regibus lex, rhetrae Lycurgeae adscribenda, qua comitia angustioribus etiam quam antea finibus circumscribebantur. — Qua tamen victoria optimates non nimis diu gavisi esse videntur: nam quum inferiores populi classes, aucta ut videbimus ephorum potestate, duces et patronos nactae essent, senatus potestas ab hoc magistratu quodammodo plebeio non minus minuta videtur

38) Similem nostrae sententiam contra Hermannum, qui usque ad tertium Messeniacum bellum aequalitatem illam tantum non integram exstitisse putat, defendit Freesius in disputatione de hac quaestione: „*Wie lange erhielt sich die Gleichheit der lakedaemonischen Bürger in ihrer politischen Berechtigung und in ihrem Grundbesitz?* Stralsund. 1844.“

esse quam, ut vidimus attrita est regum maiestas. Ephori enim quum audacter occupabant multa, quae ad alios magistratus pertinebant, tum senatus auctoritatem non uno modo deminuisse videntur, de quo eo faciliorem, ut opinor, victoriam reportarunt, propterea quod ille senioribus tantum magna ex parte senibus compositus, non valde idoneus erat ad fortiter repellendos eiusmodi ephorum impetus. — Ita iurisdictio de capite civium, quam soli senatui attribuerat Lycurgus deminuta est primum eo quod ephori in summis momenti causis sua sponte sentes comprehendebant et accusabant (quod elucet e Xenoph. Hellen. III, 5, de Cinadonis coniuratione) atque ipsius etiam iudicii si rex accusatus esset, partem aliquam sibi vindicabant. (Paus. III, 5. 2, Herod. VI, 82) et nonnunquam inconsulto senatu cum solis regibus de capite civium decernerent (cuius rei exemplum narrat Plutarchus in vita Agesilai cap. 32.) Similiter ea senatus potestatis pars, quae ad rempublicam administrandam et ad leges ferendas pertinebat sensim imminuebatur eo quod ephori haud raro soli statuebant vel neglecta senatus auctoritate cum populo agebant de rebus, de quibus e Lycurgeis institutis sine dubio senatui primum consulendum fuerat. Quas iniurias senatum repellere non potuisse non est mirum: ephori enim nulli alii magistratui sed suis tantum successoribus rationes reddere debebant; omnes e contrario reliqui magistratus, regibus minime exceptis, atque sine dubio senatores quoque, qui nusquam diserte excipiuntur, ephorum arbitrio ita obnoxii erant, ut rationem illis reddere deberent, atque impediri possent, quominus dum sese defendissent, muneribus suis fungi pergerent.

Sed ut appareat, quantopere, nomine tantum antiquo conservato senatus Lacedaemoniorum posterioribus rei publicae temporibus mutatus sit: eligendi quoque modus a Lycurgo institutus non semper mansit. Aristoteles enim (Polit. V, 5. 8) electionem senatorum apud Eleos, quam

δυναστευτικῆν vocat³⁹⁾ similem dicit ei modo quo Spartanorum senatores crearentur. Δυναστεία autem quum ea reipublicae forma sit, etiam oligarchia peior, qua paucae quaedam familiae e nobilitate exclusis et ceteris nobilibus et plebe magistratus omnes quasi hereditario iure occupatos tenent, electio illa δυναστευτικῆ quam ante Aristotelis aetatem Spartaee invaluisse apparet, ita intelligenda est, ut tum ex paucis quibusdam Homoeorum familiis omnes prope senatores creari solitos esse putemus. Agidis autem III aetate, quum inter septingentos, qui tum reliqui fuisse dicuntur, Spartanos, centum essent qui totum agrum Spartanum possiderent, (quo numero omnes Homoeos, qui adulta essent aetate viginti fere annis maiores, comprehendi puto, nam ita fere numerari solebant cives Graecarum civitatum) sine dubio non iam triginta ex eis legitimam aetatem sexaginta annorum, sine qua e Lycurgi instituto nemo senator creari poterat, habebant. Quamobrem suspicari audeo inter Aristotelis et Agidis tempora legitimam illam aetatem negligi coeptam esse, et iam ante Aristotelem invaluisse eum morem, ut in locum senatorum vita functorum propinqui eorum substitui solerent.

Spartanorum senatui Aristoteles supremum Cretensium concilium, (licet βουλή vocatum sit) par fuisse dicit⁴⁰⁾, et veri simile est, quod Hœckius contendit, totidem fuisse Cretensium, quot Spartanorum senatores⁴¹⁾. Senatus auctoritas gravissima erat, nam quum in Cretensiam civitatibus neque reges essent, neque conciones populi magni essent momenti, solus senatus cum cosmis omnem in re-

39) Minus accurate Stahrius transfert: *und ihre Wahl noch dazu von den regierenden Häuptern abhängig war etc.* Sauppilii emendationem, qui οὐ excidisse putat, non possum comprobare.

40) Aristot Polit. II, 7. 3.

41) Hœck. Kreta. III, pag. 54 annot. v.

publica exercebat potestatem. Quo accedit, quod senatores ratione reddenda prorsus liberi erant, neque secundum scriptas leges sed ad arbitrium suum de summi momenti rebus discernebant. Quam tamen potestatem revera non tanto nimiam fuisse quam ex Aristotelis verbis apparet, Hoeckius bene demonstrat⁴²⁾. Sed magnopere discrepabant modi quibus senatores in utraque civitate creabantur. Nam apud Cretenses ei tantum qui cosmorum munere cum laude functi erant, novo quodam examine probati, in senatum recipi poterant⁴³⁾, ut populi, quum cosmi ex paucis, ut vidimus illustribus gentibus creari solerent, nulla illius honoris esset pars et ne eligendorum quidem senatorum ius. Quodsi senatorum numerus idem semper erat, neque maior quam apud Spartanos, senatoresque honorem illum usque ad naturalem vitae suae finem retinebant, manifestum est, non omnes cosmorum munere bene functos illum honorem adeptos esse, sed nescio quomodo ex omnibus qui cosmi fuissent electum esse senatoris vita functi successorem. Quae tamen electio qualis et penes quem fuerit non constat.

§ 14.

De Spartanorum ephoris.

De origine tantum ephorum pauca nobis dicenda sunt, nam quid posterioribus temporibus in Spartanorum civitate ille magistratus fuerit et valuerit, ad Lycurgeam rerum Laconicarum constitutionem non pertinet.

Lycurgum ephoros primos instituisse falsa est opinio: nam originem eorum multo antiquiorem esse Muellerus⁴⁴⁾

42) Hoeck, l. c. 56.

43) Aristot. Polit. II, 7. 5 cf. Ephor. ap. Str. X, pag. 481.

44) Muell. Dor. II, 107. 108.

docte demonstravit collatis non paucis testimoniis, quibus cognoscimus ephoros in compluribus aliis Doricis civitatibus fuisse, ut eum magistratum Doriensium nationis communem fuisse eundemque antiquissimum probabiliter suspicari videatur. — Deinde testimonia, quae eorum originem a Lycurgo repetunt, numero quidem non pauca sunt, sed tam brevia et parum diserta, ut nihil omnino in eis inesse putem, quo defendantur a suspitione ea fluxisse ex frequentissima illa apud veteres rerum Graecarum scriptores commutatione vetustissimorum institutorum et eorum quae suo quisque tempore Spartaee valere videbat. Id quod confidentissime contendo de testimonio Herodoti, quod gravissimum esset propterea quod et antiquissimum est et ex ipsorum Spartanorum narrationibus fluxit, nisi inde quod senatus quoque et syssitia, quae haud dubie antiquiora sunt instituta a Lycurgo repetuntur, auctoritatem illius loci non maximam esse appareret. Ne hoc quidem demonstrari aut probari potest, ephorum originem ad Lycurgum propterea referri, quod ille eius magistratus conditionem aut potestatem commutasset. De eius modi enim Lycurgi institutis ad ephoros pertinentibus nil omnino nobis traditur. Quod enim Lachmannus ⁴⁵⁾ commentitus est, ephoros ante Lycurgum singulorum vicorum magistros quosdam vel iudices fuisse, quos ille demum in unum collegium coniunxisset, publicaue auctoritate tanquam magistratum universi populi communem praedidisset, eadem levitate, quam saepius iam notavimus, e nihilo hausit. Nam etiamsi concedendum sit, posse Lycurgum aliquid novasse in ephorum conditione, de qua tamen re nullum exstat testimonium, neque certi quidquam coniecturis vagis et valido fundamento omnino carentibus reperiri potest, hoc tamen confidenter negare nobis licet, ephoros e Lycurgea rerum Laconicarum constitutione summae potestatis ullam habuisse

45) Lachmann, l. c. pag. 160 sqq.

partem. Id enim ne credamus obstat et quod in certissimis illius constitutionis documentis, in rhetra Lycurgea et Theopompi Polydorique lege illi addita et in Tyrtaei fragmento, quod ex eius Eunomia servavit Plutarchus, quibus locis quae ratio intercesserit inter reges et senatum et comitia breviter et satis plene et dilucide describitur, ephori non commemorantur, quos ne in brevissima quidem delineatione reipublicae Lacedaemoniorum qualis belli Persici vel Peloponnasiaci tempore fuit omitti posse in promptu est. Deinde recte contendit Muellerus⁴⁶⁾ ad Lycurgeam constitutionem ephorum omnino non quadrare sed prorsus alienum a ceteris eius partibus additamentum esse. Quonam munere antiquissimi ephori qui Lycurgi tempore iam dudum fuerant, functi sint, non satis constat quum nomen eorum varias admittere videatur interpretationes. Quanquam haud improbabiler suspicatus est Muellerus⁴⁷⁾ eos magistratus quosdam fuisse, qui forum rerum venalium inspicerent litesque ibi orientes dirimerent, certis argumentis rem ita se habuisse demonstrari non potest.

Theopompum regem aliquid quod ad ephoros pertineret instituisse certo constat. Quanquam quod veterum scriptorum nonnulli et minime contemnendi illius magistratus originem ab illo rege repetunt, non potest verum esse, quoniam nomen certe ephorum antiquissimum in Doricis civitatibus fuisse in dubium vocari non potest. Sed quod Muellerus his testimoniis quae de Theopompo sunt nihilo plus auctoritatis tribuit quam eis aliorum veterum scriptorum locis, qui Lycurgum primos ephoros creasse tradunt, concedi omnino non potest. Nam quum in his locis unde error ille fluxerit perspicuum sit, et ita demonstrari possit ut nil difficultatis relinqui videatur, testimonia quae epho-

46) Mueller, Dor. II, 109.

47) ibid. 111.

rorum originem ad Theopompum regem referunt et uberiora disertioraque sunt et quanquam inter se coniuncta non videntur, nihilominus de summis rebus inter ea optime convenit, neque ullam reperio causam, unde explicari possit, quamobrem ad Theopompum scriptorum errore ephorum origo relata sit, nisi revera ratio aliqua inter regem illum et hunc magistratum intercessit. Quam rationem ita definiendam esse puto, ut tantopere ephorum potestatem a Theopompo auctam esse coniciam, ut quum quod antea valuerant exigua tantum et levissima pars posterioris eorum potestatis esset, prorsus oblivione obruerentur ei ephori qui ante Theopompum fuerant, quasi qui magnam potestatem non habuerant, nulli fuissent. —

Verisimillima autem atque accipienda mihi videtur ingeniosa Lewisii coniectura, quam affert atque assensu suo comprobare videtur Hermannus⁴⁸⁾, ephorum qui sine dubio patroni quidam vel tribuni quodammodo plebis erant, qui iura eius tuerentur contra reges et senatum, potestatem auctam compensationem quandam fuisse pro concionis iure, ut videbimus, deminuto, ut quum populus primum loco cessisset, postea novis seditionibus coegisset reges et senatum, ut sibi quod antea eripuissent aliqua ex parte restituerent, constituto populari aliquo magistratu. Qua coniectura optime et facillime explicatur, quomodo duabus tam diversis vel contrariis institutis eiusdem Theopompi aetate rerum Laconicarum constitutio Lycurgea magnopere mutata sit.

Ephori ei, quos Theopompus constituit, non nimis diversi ab illis, quos inde a bellis Persicis accuratius et frequentioribus scriptorum testimoniis novimus, licet non statim tota illa ingenti potestate a Theopompo praediti sint, sed sensim eam auxerint, satis certo ni fallor demonstrant iam tum diversos in Spartanorum republica

48) Hermann. Antt. Lacc.

fuisse civium ordines eosque inter se contrarios et hostiles. Nam tum demum, quum senatus, ex institutis Lycurgeis e toto populo creandus concilium superioris civium ordinis proprium factus esset, inferiores populi classes novum quendam magistratum exoptare et poterant et cogebantur, quò ab optimatum, a quorum partibus et reges stabant et senatus, superbia defenderentur. Cum ea quam supra exposuimus coniectura nostra optime convenit quod aliquis ex eis magistratibus, qui secundum popularem Spartanorum in quinque vicos divisionem creabantur, ad illud officium explendum sumebatur, nomine non mutato, sed aucta potestate. — Per quasnam mutationes ephoratus inde a Theopompo transierit pariter atque pleraque quae ad res Laconicas pertinent, nondum satis accurate expositum nobis videtur, sed hic in eam rem et difficilem et ad argumentum huic libello propositum non pertinentem inquirere nolo.

§. 15.

De Spartanorum comitiis.

Comitia Spartanorum iam ante Lycurgum fuisse, non est quod in dubium vocemus; sed veri simile est ea non nimis discrepasse ab eis quae heroica aetate a regibus convocari solebant, ut cum populo quae fieri vellent communicarent et intelligerent quid de eis populus sentiret, sed quibus certa iura nulla erant. Lycurgus autem comitia Laconica primus ad certam aliquam normam redegit, multoque maiore, ut e rhetra Lycurgea perspicitur, iure donavit. Sanxit enim ut comitia ὄρας ἐξ ὄρας haberentur, id quod recte sine dubio sic interpretatur Schoemannus ut sit „certis temporum vicibus“ quod quanti fuerit momenti et quantopere auxerit comitiorum libertatem et auctoritatem,

quum antea penes reges fuisset aut habere comitia aut si videretur eis non habere, perspicuum est. Praeterea id quod non nullius erat momenti comitorum locus legitimus describebatur satis diserte, quanquam nobis satis obscura sunt verba μεταξὺ Βαβύκας καὶ Κνακιδῶνος, qui locus quum a recentioribus qui de Spartaē topographia egerunt diversissime definitus sit, ab eo qui nuperrime hanc quaestionem accuratissime pertractavit, Urlichsio, Viro Clarissimo, ita explicatur, ut tota urbs Sparta illis verbis significetur. Demonstrat enim Vir Cl., qui sententiam suam mihi prorsus persuasit, comitia semper in urbis loco aliquo habita esse, ubi posteriore demum tempore aedificium quoddam concionum agendarum causa exstructum est.

Longe autem gravissima, quam Lycurgus sanxit comitorum mutatio reperitur in rhetrae verbis extremis, sic cum Muellero et aliis legendis: δέμῳ δὲ κυρίαν ἡμεν καὶ κράτος, quibus diserte profitetur Lycurgus, non ullum magistratum sed populum summum esse in republica. Sed ne illud ius populo debitum ita exerceri posset, ut illis quae Lycurgus summi faciebat, ordini et constantiae et in consulendo prudentiae officeret, diligentissime cautum erat. Non enim concioni concessum erat ut quilibet privatus verba ad populum faceret et ei quidquid in mentem veniebat suaderet, sed ut ea tantum quae e senatus consulto vel a regibus vel a senatore aliquo concioni proponebantur et oratione habita vel ab uno vel a compluribus populo explicabantur et commendabantur aut iuberet aut antiquaret, non singulis suffragia ferentibus, sed cunctis clamorem, quo quid sentirent palam facerent, tollentibus. — Verba ad populum facere nemini nisi qui publico aliquo munere fungerentur licebat. Quamobrem quod Isocrates Archidamum Agesilai filium concionantem et iuventutis veniam petentem facit, pariter atque multi alii loci et huius orationis et ceterarum ab eodem rhetore conscriptarum arguit illum aut res Laconicas non bene cognitatas habuisse,

aut non magnopere curasse ut eas accurate et vere describeret. Quod autem de Archidamo dicit, res Atheniensium civitati convenientes Spartam transtulisse videtur. Praeter eam quam vidimus concionis partem quam in legibus ferendis atque in decernendo bello vel pace facienda, reliquisque summis negotiis habebat, summae potestatis ita quoque particeps erat, ut crearet senatores atque, si Dahlmanni sequimur sententiam, Viri Illustrissimi (quae licet non ab omni parte veterum testimoniis ita confirmari possit, ut nullus dubitationi relinquatur locus, multo tamen probabilior est, quam quae ab aliis prolatae sunt variae coniecturae) ephoros. — Reliquos quoque magistratus, exceptis eis, quos ab aliis magistratibus electos esse constat (reges creabant et pythios et proxenos, ephori hippagretas, hippagretae equites qui vocabantur) a populo creatos esse veri est simile, quum nullum magistratum Sparta per sortem factum esse Aristotelis testimonio constet.

Concionis participes Lycurgus sine dubio solos Spartanos esse voluit, exclusis ut supra diximus Perioecis, sed Spartanos omnes, quum nulli etiam tum essent diversi civium ordines. Serius quam in aliis Graecorum civitatibus, quantum scimus fieri solebat, Spartani ad conciones admittebantur, tricesimo demum aetatis anno⁴⁹⁾ sed Spartanos ut nonnullarum aliarum civitatum cives ius suffragii amisisse simulatque non iam possent bellis adesse, sexagesimo aetatis anno, verisimile non est; nam eam aetatem, quae sola summo in republica honore et magistratu fruebatur, iure suffragii caruisse, persuaderi non facile potero. Potest aliquis cogitare, certam aliquam rationem inter populi divisionem gentilicium in tribus et curias et inter comitia intercessisse, quae duae res in Rhethra Lycurgeta iuxta alterutram positae coniungi videantur. Sed constat

49) Plut. Lyc. 25 init.

id quod universae concionis maior pars iussisset ratum fuisse neque secundum obas, ut Romae tributim vel curiatim vel centuriatim, sed viritim suffragia lata esse⁵⁰).

Post Lycurgum Spartanorum conciones id egisse videntur ut sua iura augerent, senatus consultis sibi propositis non simpliciter iubendis aut antiquandis sed mutantibus, id quod fieri non poterat, nisi aliquatenus tum libera in concionibus erat consultatio, ut sive senatores, si qui non contenti essent eo quod maior illius concilii pars decrevisset, sive privati e media concione surgentes ad populum verba facere possent. — Cui licentiae, sive Lycurgi legibus sancita erat, sive contra eius praescripta paulatim invaluerat, adiuvante senatu et Apolline Delphico finem imposuerunt Polydorus et Theopompus reges, subscripta sub rhetram Lycurgeam nova lege, qua regibus et senatui permittebatur ut concionem, si quam „obliquam sententiam“ caperet, discedere iuberent. „Obliqua sententia“ sine dubio ita contraria est „rhetris rectis“, quas Tyrtaeus in versibus saepius citatis praedicat, ut hae sint senatus consulta, quae populus integra, non immutata sive sancit sive antiquat⁵¹).

De ceterarum Doricarum civitatum concionibus non multa accuratius novimus, sed pauca quaedam de Cretensium comitiis nobis dicenda sunt. Aristoteles in Carthaginiensium civitatis comparatione cum Laconica et Cretica⁵²) e Poenorum legibus dicit cuivis licere contradicere legibus a magistratibus populo propositis. Unde intelligitur in Cretensium concionibus non magis quam in Lacedaemoniorum privatis ad populum verba facere licuisse. — Sed difficilior explicatu est alter eiusdem scriptoris locus, ubi legimus: concionis participes esse omnes,

50) Thucyd. I, 87. Plut. Lyc. 26.

51) Plut. Lyc. 6.

52) Aristot. Polit. II, 8. 3.

(i. e. non nobiles tantum qui soli ius summorum honorum habebant, sed cives omnes — Dorienses dico — exclusis Hypecois sive Perioecis). Sed eam nullius rei esse potentem, nisi ut assensu suo comprobaret quae cosmi et senatus decrevissent. Quod Hoeckius⁵³⁾ et Goettlingius⁵⁴⁾ ita accipiunt, ut populum assentiri debuisse putent, totamque concionem nil nisi vanam quandam speciem et simulacrum comitiorum fuisse. Contra quorum sententiam Muellerus recte ut opinor contendit, eiusmodi concionem omnino non potuisse *κνρίαν* vocari⁵⁵⁾. Quamobrem equidem cum Muellero ita intelligo Aristotelis locum, ut Creten- sium concioni pariter atque Laconicae senatus consulta integra aut iubenda aut antiquanda, consulendi autem et mutandi nullum ius fuisse putem. Laconicis concionibus Creticae ea tantum re inferiores erant, quod illud unum harum erat ius, neque creandorum magistratum potestas penes eas erat, quum Spartanorum conciones et senatores, et ut videtur alios quoque magistratus eligerent.

53) Hoeck. Kreta. III, 63.

54) Goettling. Excs. ad Aristot. Polit. pag. 478.

55) Mueller. Dor. II. 86; id. Prolegg. pag. 430. Schoemann. Antt. pag. 154 annot. 18.

Caput IV.

De eis Lacedaemoniorum institutis quae ad bonos mores conservandos pertinebant.

§ 16.

De Agoga sive publica Spartanorum educatione.

Pauca tantum nobis dicenda restant de eis Lycurgi institutis, quae ad civium mores ordinandos et conservandos pertinebant: nam ad vitam privatam vel domesticam ea spectasse non satis recte diceremus, quum id ipsum Lycurgeae rerum Laconicarum constitutionis proprium esset, quod Spartaee universa civium vita quodammodo publica, neque ulla fere eius pars vere privata erat. Quamobrem prorsus tacere non possumus de publica apud Spartanos educatione, de publicis coenis et de bonorum omnium communione quae aliquatenus inter Lacedaemonios valebat; sed de his rebus omnibus ut brevissime tantum agamus, variis adducimur rationibus. — Primum enim plerique quos hoc capite comprehendimus loci, quum apud veteres scriptores et uberiora et, si generatim iudicamus, meliora testimonia de illo argumento quam de rerum publicarum, quae proprie dicuntur constitutione reperiantur, ab illis qui hucusque de rebus Laconicis egerunt, inter quos primum locum sine dubio obtinet Muellerus, ita per-

tractati sunt, ut neque corrigenda neque addenda multa habeamus: quo accedit quod ceterarum Doricarum civitatum unam tantum hic cum Sparta comparare possumus, Cretam, quum de aliis prope nihil quod huc pertineat nobis traditum sit.

Laconica agoga (liceat enim ut nonnulla alia ita hoc quoque nomen proprium conservare) quam rectissime Muellerus ¹⁾ „praeclarum quoddam artificium“ vocat, licet sine dubio magna ex parte vetustissimis Doriensium institutis, sola consuetudine sancitis constet, universa tamen ab antiquo more qui inde a primis populi illius originibus quasi per hereditatem posteris traditus sit et conservatus repeti aegre potest. — Tam accuratis enim legibus pleraque quae ad agogam pertinent definita et descripta fuisse videntur, ut non meram consuetudinem sed certum aliquem legumlatorem aperte prodant, quem Lycurgum fuisse, cui universa agoga quae Spartaee valebat attribui solet, non est cur in dubium vocemus. Sed de singulis rebus, quae sive ab illo sive ab ipsis populi originibus repetendae sint, certi nihil effici posse videtur.

Educatio apud Lacedaemonios publica erat prope omnis; neque quidquam est, quo clarius eluceat, id quod quasi fundamentum est totius rerum Laconicarum constitutionis Lycurgeae: debere civem non sibi sed reipublicae vivere. Educatio autem quodammodo incipiebat iam antequam natus erat civis. Nam omnes eae leges, quae de matrimonio erant, eo spectabant, ut fortis et valida proles procrearetur. Quas leges singulas pertractare super sedemus, hoc tantum monentes, Lacedaemoniorum nullam legem fuisse similem ei, quae apud Cretenses valebat, ut

1) Dor. II, 295 „ein sehr kunstreicher Organismus.“ — Muellerus l. c. et sequentibus paginis diligentissime disputat de agoga: a quo pleraque quae afferemus petivimus, semper tamen accurate comparatis veterum testimoniis.

iuvenes quum primum educatione perfuncti essent, statuto tempore uxores ducere cogentur. — Apud Lacedaemonios enim matrimonii tempus nullum praescriptum erat, sed qui nullam ducebant uxorem capite deminuebantur. Pueri recens nati publico cuidam examini subiiciebantur, quo facto si satis validi videbantur, matribus nutriendi reddebantur, si infirmi, exponebantur. — Septimo aetatis anno pueri e matrum tutela transibant in aliquam e turmis (quae βούται laconice vocabantur) in quos omnis puerorum multitudo dividebatur: et ab illo inde tempore continuo diligentissime observabantur et severe regebantur non a iuvenibus tantum singulis turmis praefectis, magistratibusque qui summam publicae educationis curam gerebant, (quorum supremum locum obtinebat is quem supra commemoravimus, qui paedonomus dicebatur) sed pariter ab omnibus senioribus Spartanis, quorum quilibet eos reprehendendi et puniendi etiam potestatem habebat.

Diversas classes per quas deinceps transibant Spartanorum pueri enumerare nil attinet. Ad quem usque annum aetatis Laconica agoga pertinuerit, nusquam satis aperte traditur, sed veri est simile, non vicesimum annum quo adolescentes bellicis expeditionibus adesse incipiebant, sed tricesimum tandem, quo ad comitia primum admittebantur, educationi finem fecisse. Nam Plutarchus et Xenophon memoriae produnt, iuvenes haud raro postquam uxores duxerant etiam tum nonnullos annos in aequalium suorum classe mansisse. — Summus finis, quo tendebat universa Laconica agoga et praecipuum legislatoris, qui eam non invenit sed denuo sanxit et ordinavit, consilium sine dubio erat: ut cives et severis legibus magistratumque iussis patienter obtemperare consuescerent, et inter se quam arcissimis caritatis vinculis, quasi omnes fratres essent, coniungerentur, et ut singuli omnes quam validissimi ad bellorum labores et molestias impigre subeundas

evaderent. Quamobrem corporis vires omnes maxima cum cura et diligentia excolebantur et exercebantur, neque multum temporis relinquebatur, quo ingenium pariter excoli aut litterarum cognitione ornari posset.

Simillima si generatim comparamus Laconicae educationi erat Cretica, quanquam utraque in singulis rebus non paucis magnopere discrepat²⁾. — In universum enim quo Laconica agoga eodem Cretensium quoque publica educatio tendebat, quamobrem apud Cretenses quoque quum corporis vires diligentissime excolerentur ingenii cultura tantum non omnino neglecta esse videtur. In singulis etiam exercitationibus multa similia reperiuntur: ita in utraque civitate acerrima certamina inter diversas iuvenum turmas institui solebant, quibus ad vera proelia cum hostibus subeunda praepararentur et aptiores fierent. Deinde in Lacedaemoniorum pariter atque in Cretensium civitate pueri et adolescentes aderant publicis coenis virorum, quorum exemplo ad virtutem civilem incitarentur³⁾. —

Sed nonnullae aliae haud levis momenti res aliter apud Cretenses, aliter apud Lacedaemonios constitutae erant. Nam quum Laconicae agogae pueri iam septimo aetatis anno tradi solerent, Cretenses usque ad septimum decimum aetatis annum in parentum suorum tutela et disciplina manebant, e qua non iam pueri sed adolescentuli publica educatione exercendi et excolendi exhibant: e qua re conicere possumus multo pluris apud Cretenses quam apud Spartanos aestimatam esse domesticam vel familiarem educationem. — Altera magna discrepantia erat haec,

2) Conferas copiosam Hoeckii disputationem de publica Cretensium educatione. (Kreta. III, pag. 98—106.)

3) De puerorum amore legibus Laconicis et Creticis sancito et aliquando certe omni turpitudine vacuo tam copiose et bene egerunt Muell. Dor. II. 286—293 et Hoeckius l. c. pag. 106—119 ut actum agerem si plura de ea re dicerem.

quod apud Cretenses agelae, (ita enim illie vocabantur puerorum turmae) a pueris illustri loco ortis colligebantur, qui modo maiorem modo minorem aequalium suorum numerum in sodalitium quoddam contrahere solebant. Quorum patres tunc agelarum a filiis constitutarum magistri et inspectores fiebant, atque licet magistratus non fuerint, neque ulla quantum scimus publica auctoritate praediti, puniendi potestatem nihilominus exercebant. Quod institutum si comparamus cum severiore certioribusque finibus et normis descripta buarum Laconicarum constitutione plane perspicimus fuisse nescio quid in Cretensium multo magis etiam quam in Spartanorum indole, quod efficiebat ut aristocratici aliquid etiam eis institutis admisceretur, quae quam maxime popularia viderentur. Sed ex illa potestate nobiles gentibus concessa, quam regenda quodammodo publica educatione exercebant, minime concludendum est, rempublicam Cretensium nullam omnino educationis habuisse curam. Contrarium enim et ex inscriptionibus nonnullis elucet et ex Ephori testimonio, qui agelas publico sumpto nutritas esse tradit. Quod quidem institutum summopere laudandum Lycurgeae rerum Laconicarum constitutioni non sine magno reipublicae detrimento deerat, unde necessario conseqebatur, ut soli locupletes, qui sine ullo labore victum sufficientem ab Hilotis suis accipiebant, agogam subire possent. Quum vero e Lycurgea (id quod non dubium videtur) lege quisquis non universam publicam educationem toleraverat capite minuebatur, ex eodem instituto, quod legumlator sine dubio eo consilio sanxerat, ut quam maxima omnium civium esset ex aequalitate mutua caritas, conseqebatur ut ipsa illa aequalitas turbaretur.

§. 17.

De phiditiis sive publicis Lacedaemoniorum coenis.

Muellerus⁴⁾ veterem Graecorum omnium morem fuisse contendit ut publice coenarent, cui sententiae assentitur Hoeckius⁵⁾. Sed omnium eorum quos afferunt locorum nullus ita comparatus mihi videtur, ut aperte prodat talia syssitia, qualia Cretensium erant et Lacedaemoniorum. Harum enim civitatum proprium erat, quod omnes cives quotidie publice coenabant, cum quo more vereor ut satis commode comparari possint seu quae Homerus saepius commemorat principum convivium apud reges, seu prytanum apud Athenienses publicae coenae (quarum multo similis quam phiditia est hoc quod Spartanorum ephori proprium aliquod habebant syssitium iuxta forum situm) seu publica convivium apud Megarenses et Argivos et Phigalenses, quos omnes equidem non solum festis quibusdam diebus publice coenasse non puto ullo argumento probari posse. Sed hoc veri videtur simile, vetustum illum fuisse morem Dorici populi, qui conservatus nusquam sit, nisi apud Lacedaemonios et apud Cretenses: nam Lycurgum non primum instituisse sed denuo sanxisse et fortasse ad certiore normam rede gisse syssitia, plerorumque institutorum, quae ad illum tanquam primum auctorem a nonnullis referuntur et quae iam ante eum exstitisse vidimus, comparatione verisimile fit.

Coenae publicae apud Spartanos aliquando eodem nomine, quod apud Cretenses semper valuit ἀνδορεία (i. e.

-
- 4) Qui de syssitiis egregie disputat compluribus locis, quorum uberrimi sunt Dor. II, 198 sqq. et ibid. 269 sqq.
5) Qui de Creticorum syssitiorum ratione uberrime, sicut eius est mos agit Kreta III, pag. 120—139.

virorum convivia) dicta esse tradit Ephorus⁶⁾. *Συσσίτια* (coenae communes) ni fallor non tam proprium nomen apud ipsos Spartanos aut Cretenses usitatum erat, quam vulgare nomen, quo et horum convivia et quaequae aliquatenus similia in aliis civitatibus reperiebantur vocari poterant. Spartanorum autem coenae a diligentioribus scriptoribus aut *φιλίτια* aut *φιδίτια* aut *φειδίτια* appellari solent. Quorum nominum equidem id quod extremo loco posui, quod valet „coena parcae vel tenues“ cum Muellero non pro vero et antiquo nomine apud Spartanos usitato habeo; nam coenae Laconicae omnino non erant parciores, quam antiquus Graecorum victus in universum fuisse videtur, et quod Xenophon et Plutarchus⁷⁾ Lycurgum *sysitia* constituisse narrant, ut cives a luxuria et voracitate vel arceret vel ad frugalitatem revocaret, antiquo legumlatori consilium attribuere videntur ab illa aetate alienum et e posteriorum saeculorum vitiis petitem. Quamobrem verisimillimum est, quod suspicatus est Muellerus, accepit Hoeckius, coenas illas *φειδίτια* non a Spartanis sed ab aliis Graecis appellatas esse pro *φιδιτίοις*, sive quod illud nomen prave intelligebant, sive quod eo paullulum mutato consulto irridebant Lacedaemoniorum frugalitati, quae ipsis austeram videbatur, quippe a qua iamdudum desciverant. *φιδίτια* denique vere Laconicum nomen fuisse puto et idem valuisse quod *φιλίτια* (amicorum convivia.) Nam Laconicae dialecti proprium erat ut λ nonnunquam in δ mutaretur. (Plut. Lyc. 12.;) cuius rei alterum exemplum est *Πολυδούκης* pro „*Πολυλεύκης*“, quam primitivam huius nominis formam fuisse et originatione facillima et aptissima et Latinum nomen „Pollux“ ut credamus suadet.

Spartani pleno civium iure fruente quotidie publice coenabant in sodalitia distributi quinorum denorum virorum,

6) Ephorus ap. Strab. X. pag. 738.

7) Xenophon Resp. Lac. V. 2 sqq. Plut. Lyc. 12.

quanquam nonnunquam paulo vel plures vel pauciores erant⁸⁾. In quae sodalitia nemo admittebatur, nisi cunctis omnium sodalium suffragiis probatus. Sed praeter has minores maiores quaedam societates fuisse videntur, in quas universa civium multitudo divideretur; nam in Agidis rhetra⁹⁾, qui id potissimum agebat, ut Lycurgeam rerum Laconicarum constitutionem quantum fieri posset integram restitueret: legimus, constituenda esse syssitia quindecim, quorum singula inter ducenos et quadringenos cives continerent (id quod Schoemannus¹⁰⁾ probabiliter ita explicat, ut sit: paulo plures seu paulo pauciores trecenis.) Haud improbabiler coniiiciunt Muellerus et Schoemannus¹¹⁾, totidem maiora fuisse syssitia, quot curias, i. e. triginta, eorumque singula e legislatoris consilio trecenos contuisse viros in vicena sodalitia distributos; sed certi ei numeri nequaquam habendi sunt, quippe qui non disertis testimoniis sed coniecturis nitantur, quae etsi per se minime videntur spernendae, nullis tamen argumentis satis certis confirmantur. Quamobrem omnino non possumus diiudicare hanc quaestionem, quam Muellerus¹²⁾ quoque in medio relinquit, num ulla ratio intercesserit inter syssitia et populi divisionem gentiliciam. Hoc tamen satis certum est, ad rem militarem aliquatenus pertenuisse syssitia¹³⁾, ita fortasse ut qui eodem in sodalio coenarent, in proeliis coniuncti iisdem in locis pugnarent. Ceterum suspicor Sparta totidem fuisse publica aedificia, in quibus quotidie coenarent cives, quot maiores erant societates; in singulisque aedificiis complures fuisse singulorum mino-

8) Plut. Lyc. 12. init.

9) id. Agis. 8 extr.

10) Schoemann. ad Plutarchi l. c.

11) Mueller, Dor. II. Schoemann. Antt.

12) Mueller. ibid. 272.

13) Herod. I. 65. Muell. Dor. II. 272. annot. 6.

rum sodalitorum mensas. Ad phiditia ut quotidie convenirent Spartani omnes pleno iure fruente, nisi quod certas quasdam causas, venationes aut sacrificia, nonnunquam excusare eis licebat, legibus severissimis tenebantur. Convivii viri tantum (i. e. ei qui triginta annis maiores erant) participes erant; feminae enim domi coenabant, adolescentes autem et pueri, etsi aderant seniorum sysiitiis, minorem accipiebant ciborum portionem neque nisi interrogati hiscere audebant, sed taciti virorum sermonibus auscultabant. Qui satis hilariter et ne risu quidem aut facetiis exclusis confabulabantur: plerumque tamen sermones instituebant serios et graves, de publicis praesertim rebus, ut haud inepte suspicari mihi videar, sermonum libertate qua in quotidianis publiciis conviviiis Spartani fruebantur, aliquatenus compensata esse vincula illa, quibus concionandi licentia in illa civitate obstricta tenebatur. Quod etiamsi voluisse Lycurgum puto, quum phiditia sanciret et ordinaret, neque nego eum aliquatenus id quoque egisse, ut imposita publice coenandi necessitate ad frugalitatem cives cogeret, principale tamen consilium, quo phiditia tendebant ex ipso nomine, modo vera sit eius quam supra probavimus originatio elucet. Nil enim antiquius habebat Lycurgus, quam ut cives quam maxima concordia et caritate mutua in unum quodammodo corpus firmissimum coniungeret: nam plane intelligebat, sine summa omnium concordia et maxima singulorum ad bella gerenda fortitudine Spartanos non posse locum obtinere quem occupaverant, sed brevi deletum iri sive ab ingenti fortium virorum numerom, quos libertate privatos suo arbitrio subegerant, sive a finitimis populis, potestate nequaquam inferioribus et tantum non semper hostilibus. Sed propterea quod Lycurgus cives omnes ad publicas coenas impigre obeundas coacturus eis tantum qui phiditiis adessent, plenum civium ius concedebat, quum singulis mensibus a singulis civibus certa quaedam copia vini frumenti

ceterorumque ciborum et pecunia accuratis legibus constituta exigeretur, quisquis vel sine ulla sua culpa ad tantam inopiam redigebatur, ut tributum illud non iam conferre posset, optime civium iure excludebatur: quamobrem fieri non poterat quin temporum decursu idem illud institutum, quo cives omnes aequalitate et concordia coniungere voluerat Lycurgus, ad iuris aequalitatem tollendam et bonum ordinem turbandum plurimum valeret.

Quod quidem periculum sapientissime evitaverat quisquis is fuerat, qui in Cretensium civitatibus publicas coenas ita constituerat, ut cives omnes cum mulieribus et liberis publico sumptu alerentur, quod factum esse disertis verbis testatur Aristoteles ¹⁴⁾. Quanquam Hoeckius ¹⁵⁾ accuratissime demonstravit ex uberrimo Dosiadae loco de Lyctiorum Andreis ¹⁶⁾, non in omnes Cretae civitates quadrare Aristotelis descriptionem: apud Lyctios enim et fortasse alibi quoque, singulos quoque cives contribuisse ad publicas coenas: nihilominus multo minore ut ita dicam intervallo ab Aristotelis descriptione, quam a Laconicorum phiditiorum constitutione distare Lyctiorum andrea non satis perspexisse mihi videtur Hoeckius. Nam quum apud Spartanos quisquis tributum omnibus aequaliter neque ulla facultatum ratione habita impositum, atque satis magnum (nam e solis tributis universum phiditiorum sumptum redire oportebat) e suorum agrorum fructibus, quorum magna pars Hilotarum erat, conferre non poterat, phiditiis arceretur et simul optimo civium iure excideret: Lyctiorum divites pariter et pauperes eorum fructuum, qui ex agris quos Clarotae colebant sibi redibant, decimam ad syssitia conferebant, (multo igitur maior reddituum pars privatis relinquebatur, qua familiam suam alerent.) Deinde ad id

14) Aristot. Polit. II, 7. 4.

15) Hoeck, Kreta. III. 134. sqq.

16) Dosiadas ap. Athenaeum IV, pag. 143.

quod de suo singuli conferebant, addebant quidquid ex agri publici (a Mnōitis culti) fructibus in singula civium capita distribuendis accipiebant, quo denique accedebant nummi Aeginetici, qui ne cives syssitiornm sumptu gravius premerentur a servis singulis (quotannis ni fallor) exigebantur. —

Unde aperte consequitur, Lyctiorum andrea pariter atque ceterarum Creticarum civitatum, ad quas referendum est Aristotelis testimonium (erant autem syssitia in omnibus Cretae civitatibus ut diserte dicit locuples testis Dosiadas) revera ita comparata fuisse, ut magna certe ex parte efficerent id cuius causa ea instituta esse refert Ephorus¹⁷⁾: „ut aequalium participes essent pauperes cum divitibus.“ Quamobrem de Cretensium coenis publicis non sine iure quodam dicere poterat Muellerus, „id institutum fuisse eiusmodi, quo privatorum bona ad usum communia fierent¹⁸⁾,“ sed de phiditiis idem minime valet: quae licet non inde a principio et ex ipsius Lycurgi consilio timocraticum institutum fuisse credam, ita certe comparata erant, ut temporum decursu non possent non in timocratiam, deinde in optimatum dominationem mutare Lycurgeam rerum Laconicarum constitutionem¹⁹⁾.

17) Ephorus ap. Strab. X, pag. 735.

18) Mueller, Dor. II, 186. „und was war endlich die ganze Syssitieneinrichtung Sparta's und Kreta's anders, als eine Gemeinmachung des Vermögens im Gebrauch?“

19) Externam ut ita dicam syssitiornm apud Cretenses formam tam accurate exposuit Hoeckius (Kreta, III, 122 sqq.) ut nil attinere videatur repetere ea, quae ille occupavit, cuius industria summopere est laudanda.

§ 18.

De eis Lycurgi institutis quae ad rem familiarem ordinandum et exaequandam spectabant.

Diu ab omnibus creditum est Lycurgum omnes Lacedaemoniorum agros in certum aliquem numerum sortium aequalium, quorum singulas singulis civibus attribuisset, divisisse eamque agrorum aequalitatem diu mansisse. De qua re tam copiosum et disertum exstat Plutarchi testimonium, ut non mirum sit, quod illi contradicere temerarium videbatur. — Qua re factum est ut recentiores qui de rebus Laconicis egerunt prope omnes²⁰⁾ de hoc consentirent, fuisse aliquando aequalem agrorum Laconicorum distributionem, quanquam innumerae et ingentes discrepantiae quae sunt inter eorum sententias de illius instituti indole et origine et consilio et tempore vel solae satis ostendant, maximis difficultatibus eam quaestionem impeditam esse. Tanta enim sunt illarum sententiarum discrepantiae, ut nihil fere, quod alicuius momenti sit, dictum invenitur apud ullum eorum qui agrorum aequalitatem defenderunt, quin ab aliquo eiusdem sententiae patrono negatum aut refutatum sit. — Primi quantum equidem reperi Curtius et Lachmannus, qui quam sint novandarum rerum Laconicarum studiosi iam saepius vidimus, ausi sunt contra omnes qui eo usque de ea re egerant totam aequalem agrorum distributionem quae a Lycurgo facta esse diceretur fabulosam et commentitiam iudicare. Sed neuter eorum suam sententiam satis validis argumentis confirmavit; quae apud utrumque fluxisse videtur ex opinione, quam falsissimam esse persuasum habeo, quam reprobarunt viri doctissimi, et quam qui eam protulerunt comprobare minime potuerunt, de nobilitate, quae inde a primis

²⁰⁾ Mueller. Dor. II, 187 sqq. Ceterorum nomina cumulare nil attinet.

reipublicae Lacedaemoniorum originibus plurimum in civitate valuerit, quibus nobiles latifundia ab illis attribui consentaneum erat. — Quamobrem illorum coniecturae merito explosae sunt a Schoemanno et Hermanno, qui in dissertatione „de causis turbatae apud Lacedaemonios agrorum aequalitatis,“ maxima cum diligentia et vasta doctrinae mole id agit, ut demonstret Lycurgum re vera omnes agros in aequales sortes divisisse, nec defuisse spem, fore ut illa aequalitas conservaretur, et eam tantum non integram mansisse usque ad tertium fere Messeniacum bellum: inde a quo tempore causis quae evitari non possent turbata sit et prorsus sublata. Sic postquam quidquid fieri poterat ad defendendam hanc de aequalitate agrorum a Lycurgo constituta sententiam Hermannus praestitisse videbatur, quanquam apparebat nonnullas difficultates ab illo non prorsus sublatas esse, in univ-ersum tamen vix videbatur dubitari posse, quin summa sententiae ab illo prolatae vera sit. Sed nuperrime exstitit Grotius, qui contrariam sententiam a Lachmanno et Cor-tuemio, quos tamen ne nominat quidem neque cognovisse videtur male confirmatam tam valida argumentatione defendit, ut equidem confitear illum mihi prorsus persuasisse nullam unquam apud Lacedaemonios fuisse agrorum aequalitatem, neque mihi quidquam relictum videri, nisi ut eius argumenta praecipua brevi enumerem. — Primum igitur demonstrat, neque ullum rerum Graecarum scriptorem qui ante Aristotelem vixerit, aut illum ipsum de aequalitate agrorum, quae Spartae sive aliquando fuisset, sive etiam tum exstaret, mentionem facere, neque ullum eius opinionis vestigium reperiri ante Agidis et Cleomenis tempora, quae ita comparata fuisse contendit, ut facillime et oriri posset et ab omnibus credi opinio illa, quae ab eo inde tempore invaluerit, Lycurgum agros inter omnes ci-ves aequaliter distribuisse. — Praeterea eam difficultatem quam eorum qui illam opinionem defendissent, nemo non

viderit, sed nemo ita tollere potuerit, ut probabiliter explicaretur per quaenam artificia Lycurgus cavere potuisset, ne brevi turbaretur aequalium illarum sortium numerus talem esse, quae tolli omnino non possit; et bonorum inaequalitatem Sparta*e* iam antiquissimis exstitisse temporibus de quibus certi aliquid constaret, neque ullam fuisse legem quae ad eam inaequalitatem corrigendam tenderet: nam quae veteres scriptores sed ei non antiquissimae aetatis et recentiorum complures suspicati essent de legibus ad hereditates pertinentibus, quarum id fuisset consilium ut bonorum aequalitas conservaretur refutari antiquiore et graviore Aristotelis testimonio. Veri autem simile esse agros statim post occupatam a Doriensibus Sparta*m* in sortes non aequales divisos esse.

Haec sunt argumenta principalia, quam paucissimis verbis comprehensa, quae Grotius in historiae Graecae volumine II, paginis 521 — 548 tanto cum acumine et tam accurata et copiosa cum doctrina exponit, ut non possim quin eam argumentationem optimis adnumerem partibus illorum voluminum, in quibus ingeniosa et docta prope omnia sunt et permulta egregia. Sed paulo ultra verum abripi mihi videtur Grotius argumentationis suae tenore. Nam neque ullam qualemcumque agrariam legem a Lycurgo latam, neque id consilium illius legumlatoris fuisse concedit, ut sicut iura ita bona quoque civium aliquatenus exaequarentur; et omnes sententias, quae mediam aliquam viam inter priorem opinionem et suam tenere conarentur, condemnat tanquam ad arbitrium effictas, et omni probabilitate carentes. Id quod Thirlwalli quidem et Wachsmuthii coniecturis non sine aliqua ratione exprobrat: sed nihilominus non possum quin ipse aliquam mediam sententiam proferam, quam argumentis non prorsus carere confido. —

Nam etsi concedimus Grotio, Lycurgum non omnes agros in aequales sortes divisisse, hoc tamen apertum

mihī videtur ex universa legum Lycurgearum indole, eum cives omnes quantum fieri posset aequales inter se reddere voluisse, neque id tantum in ratione quae eis intercederet cum civitate, sed in privata quoque vita; id quod fieri non potuisse manifestum est, nisi simul caveretur, ne nimia fieret bonorum inaequalitas, quae necessario efficit, ut iura quoque civium inaequalia fiant aut certe aequaliter exerceri non possint.

Quae bonorum nimia inaequalitas ne exoriretur tribus diversis artificiis cavisse mihī videtur Lycurgus.

Primum enim, quum plenum civium ius nemini concederet, nisi qui syssitorum et agogae participes et laboris vacui essent, (id quod nemo esse poterat, nisi qui agri aliquantulum possideret;) atque quum cogitari non possit Lycurgum cives Spartanis parentibus natos optimo civium iure nullam aliam ob causam nisi quod pauperes essent excludere voluisse: necesse est, eum eis qui proprii nihil aut parum haberent agrorum sortes attribuisse. Nam tum fuisse Spartanos qui rem non haberent, non est cur in dubium vocemus, quanquam Plutarchi (Lyc. 8) descriptionem atrocis quae tum Spartaefuisset agrorum inaequalitatis nihil moror, quippe quam non tam ex antiquis fontibus hausisse quam ex Agidis tempore ad Lycurgi aetatem transtulisse videtur. Lycurgum pauperibus agros distribuisse, quos ademisset ditioribus, multo minus videtur veri simile, quam sive publicum agrum sive regionem aliquam eo usque a Spartanorum potestate alienam.

Alterum remedium quo cavebatur ne perniciosa esset bonorum inaequalitas erat communio quaedam quam sanciebat omnium bonorum. Quam in Lacedaemoniorum civitate valuisse et e disertis veterum testimoniis (Cicero de Republ. IV, 5) et e nonnullis singularibus moribus, quae alioquin difficillimi essent explicatu, cognoscimus. Ita Spartanorum quivis aliorum Hilotis vel equis vel canibus

venaticis si necessitas aliqua ita postulabat quasi sui essent uti non dubitabat, et aliorum horrea aperire et inde sumere quidquid opus erat Spartanis omnibus e lege licebat. Deinde quod pueris concessum erat ut sibi ad comedendum et in domibus et in hortis alienis quidquid volebant clam sumerent, non iam est mirum: nam quum nemo Spartanorum quidquam haberet vere proprii, propterea quod omnia ut vidimus civitatis quodammodo erant, sive omnium civium communia, nullum privatorum ius violari videbatur rapinarum licentia pueris e legibus concessa: quod institutum non abhorrere ab universa publicae Spartanorum educationis indole non est quod pluribus demonstrum.

Postremum hoc quoque instituto aliquatenus cautum erat ne nimis facile privatorum opes supra modum augeri possent, quod civibus vetitum erat, ne mercaturam neve artem aut opificium ullum exercerent. Nam ita omnes reducti erant ad solos fructus agrorum suorum, neque hos augere poterant, quum vendere agrum aut lege prohibitum esset aut certe turpe putaretur. Quod institutum sive antiquissimum sive Lycurgeum optime amplificatum est, quum uno circiter saeculo post Lycurgum nummi argentei Argis procudi coepti essent. Tum enim Spartae lege cautum est, ne quis Spartanus privatus argentum haberet aut aliqua pecunia uteretur nisi ferrea Lacedaemoniorum, quae extra Laconicae ditionis fines nullius omnino erat pretii. Quam legem non posse a Lycurgo, cui Plutarchus eam tribuit, latam esse, iamdudum omnes concesserunt. Sed aurum ne haberent ne Phidonis quidem tempore Spartanis diserte vetitum esse credo, quippe quod etiam tum tam rarum esset in ditioribus etiam Graeciae civitatibus (id quod luculenter demonstrat Boeckhius in „Oeconomia publicae Atheniensium“ introductione) ut tali lege minime opus esset.

Sed quum Lycurgus in agogae et phiditorum constitutione, id quod in proximis sectionibus satis ostendisse mihi videor, non satis longe processisset in via quam in-

gressus erat sancienda bonorum omnium communionis²¹⁾: fieri non poterat, quin illis vitiis, quae brevi magnopere augebantur privatorum avaritia, quod commune et hereditarium quodammodo Spartanorum plerorumque vitium fuisse videtur, civium omnium aequalitas, quae maxima quasi columna erat praeclari quod describere conati sumus aedificii, iam haud ita diu post Lycurgi obitum tolleretur. Qua semel labefactata et fracta, reliquas etiam partes eius aedificii, quod tam firme conditum et tam bene constructum videbatur, ut ipse conditor sibi persuadere posset, opus suum vel saeculorum potestati, qua res humanas omnes atteruntur et dissolvuntur restitutum esse, sensim dilabi necesse erat. Quod quomodo factum sit accuratius exponere non pertinet ad hanc dissertationem.

21) Id quod longe melius se habuisse vidimus in Cretensium civitate, alioquin nonnullis in rebus multo deteriore quam erat Lycurgea rerum Laconicarum constitutio.







